




1587
—Piccioli —







PICCIOLI (Antonio) senior

[Probably printed by
J. Wechel, Frankfort]

DE Rhodes, Library
1987, 6 Ser. 9, 225-239

ANTONII PICCIOLI SEV RAPITI RENOVATI, CENETENSIS IVRISCONSVLTI,

Ad illustrißimum LOTHARIVM *de Comitibus,*

DE MANVS INSPECTIONE LIBRI TRES.



BERGOMI
Expensis Ioannis Baptistæ Ciotti Senensis,
MDLXXXVII.







ANTONII PICCIOLI, CENETENSIS IVRISCONSVLTI IN LIBROS DE MANVS INspectione ad illustrissimum Lotharium de Comitibus,

PRAEFATIO.



VELATAM omnem secretioremque Philosophiam, LOTHARI illustrisime, siue nomina idealia, siue intelligentias admiretur: siue dęmones, siue animas & genios consideret, siue cœlos, sydera, elementa eorumque impresiones affectusq. mixtaque omnia, vt herbas, lapides, mineralia, & animalia respiciat, veluti priores naturæ, & diuino innixi lumini, influxuique puram, immaculatam, & sinceram inuenti vt facilius humanum animum in apicem mentis, & hinc in Deum erigerent, partim vocali traditione, partim breuioribus scriptis tradidere: sic posteriorum ignorantia, malitia, auaritia, & iactantia mille repertis fallaciis, superstitionibus, vanisq. ceremoniis instigante pariter, auxilianteq. Satana diuersimode fœdauit, penitusq. conspurcauit. Hinc circa numeros, figuras, res, nomina, litteras, elementorumq. apices, lineas, puncta, & accentus tot excogitata vt asserunt, cabalistica mysteria, at reuera vespertina insomnia. Hinc tot cōmentitia deliria circa magicas ceremonias, ritus, carmina, depreca-

menta, suffumigia, ignota nomina, fictos characteres, munditiasq. in cuti, vestibus, vasis, habitaculis, vtensilib. suisque abominandis oblationibus, & sacrificiis: Vlterius tot sycophantiæ circa horarum obseruationes, solitudines, altaria, circulos, ablutiones, ieiunia, statuas, imagines, consecrationes, anulos, pentacula, sympathias, mistorumque omnium antipathias: collyria, philtra, pocula, vnguēta, alligationes, suspensiones, inhumationes, specula, & cætera, quæ iam piget referre: hinc tot gradationum, horoscoporum, aspectuum, domorum, coniunctionū, ascendentium astrologica contexta superstitio: demum, vt sexcenta alia omittamus, ex his fontibus tot Chymicæ putrefactiones, tot dissolutiones, tot separationes, tot purgationes, reductiones, siccationes, congelationes, inter infinitas sublimationes emanauere. Quæ omnia perditissimi, deploratissimique ingenij homines grandioribus collegerunt voluminibus, partim vt ipsi decepti, consumptique, alios quoque deciperent, ad perdendumque oleum, & operam, viam aperirent malignam: partim vt mirabilibus traditis dogmatibus sibi famam illustrem comparantes, & insensatis stuporem, terroremq. iniicientes, spe etiam ingenti oblata amplissimarum adipiscendarū diuitiarum, & insuper miraculorum cōficiendorum, marsupia ignorantium emungerent: quapropter frequentius librorum titulos ementiti sunt, vt facilius miserabilem plebeculam irretirēt, vnde & scripta hodie adhuc passim circumferūtur sub nomine, Salomonis, Abraæ, Cami, Enoch, Abelis & Adæ, Annæque Prophetissæ: & recentiora Pauli, Honorii, Cypriani, Alberti, Thomæ, Hieronymi: & ne sanctis viris solummodo detraheretur, execrabilium inuentorum auctores faciendo, ab angelis Razele, Raphaeleque traditi quoque libri Adamo, & Tobiæ vndique ostentantur, quorū nugis meris, vt Chymicos præteream, technisque pene puerilibus non solum infimæ sortis homines, sed & Alphonsum regem Castellæ: Robertum Anglicum; Rogerium Bacconem, Petrum Aponensem

ſem, Alchindũ, Apollonium, Arthephium innumeroſq. alios vel allucinatos vel allucinantes inuenimus. Quamobrẽ eo tandem res deducta eſt, quod ſuperiori tempore nõnulli reperti ſunt, qui inter tot fucos, & nõ minus mendacia, quam vt plurimum ſcelerata preſtigia occultam per ſe ſcientiam iacere ſepultam non animaduertentes, ſiue potius conniuentes, vt gloriam occaſione ambages refellendi, ſibi apud poſteros præpararent, nullã eſſe penitus & verbo, & ſcriptis pronunciauerunt: non in eius principia, vt decebat, ſed in homines malos, eorumque varios, vt ita dicam abuſus, adinſtar Lutheri, argumentorum acumina, ſpiculaque dirigentes, viri alioquin ingeniosiſsimi, profundarumq; rerum ſpeculatores non contemnendi. ſic Ioannes Picus Mirandulanus, phœnix merito [illegible]ioris ſęculi appellatus, totam penitus Aſtrologiam manibus & pedibus conatus labefactare: ſic eius veſtigia ſequutus Ioannes Franciſcus nepos Magiam omnem, ſomnia, auſpicia, auguria, oſtenta, vniuerſaſque prædictiones conuellere aut voluit aut credidit, dũ puchro ſane & felici ſtilo in libris de Prænotione, adſcititias vanorum hominum impoſturas funditus diſſoluit, diſsipauitque. quibus in multis nuper Hieronymus Cardanus, & paulo prius paſſim adſtipulatus Agrippa non tantum occultas, quibus antea ipſemet tribus libris ex profeſſo ſubſcripſerat, ſed vniuerſas Philoſophias ſub vanitatis titulo, Salomonem forte in Eccleſiaſte imitatus, cõcludere non dubitauit: quamquam ſanctiſsima patrum concilia prudentiori conſilio priora tantum veluti ſuperſtitioſam redolentia idololatriam, occultumq. pactum cum tenebrarum principe eiicienda exterminandaque decreuere, ſic à paleis granum ſeligere, & lucem à tenebris ſegregare arbitrantia. non quod etiam in his contemplationibus aliquid boni non lateret, veritas enim eadem eſt ſemper in ſe ipſa, nullaque fallaciarum permixtione peruertitur, ſed illud quidquid erat, adeo ſuperſtitionibus circumſeptum, & vanitatibus fuerat adumbratum, quod vberior ſeges auenæ, & lolĩ

quam tritici hinc perpetuo pullulare in humanos animos conſpiciebatur. Propterea rectius noſtro iudicio feciſſent & vterque Picus, & Agrippa, & Cardanus poſtquam alterum tantum præſtare volebant, ſi operam impendiſſent non in reſcribendis, recitandis, confutandisque vel malignorum, vel imperitorum deliriis, ſic figmẽta, & fucos iterum in memoriam reuocantes recentiorum: ſed ſi veram latentemque priſcorum bonorum Philoſophiam ab immundiciis nugiſq. expurgatam, & tenebricoſis exutam velaminibus iterum aperto cœlo ſuis cõmentariis reſtituiſſent. Quod onus alias animo conceptum perſępe nos ſubituri fuimus, ſed neſcimus an repugnãte fato, an impedimentum nobis iam diu vtroque parente orbatis, obiiciente corporis aduerſo temperamento, vel cura familiari, fratrumque [illegible] iuuenilium regimine perdifficili, vel inuidia quorundam perditorum ſycophantarum, nunquam vſque huc aliquid tanto dignum deſiderio moliri potuimus: niſi quod his diebus quaſdam manus ſpeculationes in diuerſis ſcriptoribus ſparſas deſlorati, & in aliquem recollecti libellum potius in nuper damnata à nobis Picorum, Agrippæ, & Cardani veſtigia relapſi videmur: quamuis pro certo haberemus inter deridendas Cabalæ, Magiæ, Aſtrologiæ omniumque ſortium inſanas obſeruationes præcipue obſtrependam eſſe, exibilandamq. ſignorum manus viliſsimam diuinationem, dignam mehercule ſiue Arabum, ſiue errantium Ægyptiorum conſuetudine, exercitioq & doctrina. At ne ſponte, vel perperam, & abſque ratione, & ſine alicuius vtilitatis fine huc nos aciem direxiſſe ab aliquibus forte cenſeatur, ſciant omnes ad quos imaginationes iſtas peruenire contigerit, ad illas conſarcinandas à te primo LOTHARI illuſtriſsime, impulſos fuiſſe, cum quo, dum Caprarolæ æſtatem vterque ageremus in familia illuſtriſsimi ALEXANDRI FARNESII Cardinalis, cum forte ſermo de his ſpeculationibus incidiſſet, tantus ardor has cognoſcendi, intelligendique cupiditatem tuam in-

flamma-

flammauit, vtpote iuuenem ſupra ætatem Ariſtotelica Philoſophia, mentisq. acumine, memoriæq. profunditate admirandum, & intellectu informatum nouarum rerum auidiſsimo, vt multum defuturos beneuolentiæ erga te noſtræ & obſeruantię arbitraremur, ſi quantum in nobis eſſet protinus efficiendum nõ curaremus, vt deſiderio tuo, quod inſtar præcepti arctiſsimi exiſtimabamus, ſatisfactũ non eſſet. Hinc igitur libellum exordientes tanto libentius laborem ingreſsi ſumus, quod ſperauimus ſub ſpecie, & imagine rem ſerio tractandi docendique ipſius falſa dogmata ſenſim & latenter ab illorũ mentibus reuellere, qui fidem, & credulitatem adhibuiſſent: & propterea non ex profeſſo titulum contra hanc artem inſcripſimus, vt plerique in ſimilibus conſueuere, vt facilius errantium animos ad ea loca perduceremus, in quibus manifeſta comprehendentes iſtorum Chiroſophorum deliria, veritatem intuerentur, amplecterenturque. multi enim frequentius reperiuntur qui ad prima verba contrariantia opinionibus iam imbibitis, obſtinatiſsimi vix aures accommodant, qui poſtea ad rem perducti, rationemque edocti facilius acquieſcunt: ob hoc igitur aliqua methodus à nobis in hoc opuſculo fingenda, tradendaq. erat prout fecimus, licet & in principio, & vbique ſub prætextu riſus, & ioci vanitatem artis præ ſe ferre recte inſpicientibus reperiatur. Hinc ergo iam ſatisfactum cenſemus amicis noſtris, & præcipue Antonio Gandino Medico, & Sigiſmundo Leoni, qui genium agnoſcentes noſtrum, rationemque vitæ vere ab his rebus alieniſſimæ, quod eiſdem manum & calamum admouiſſemus, præſertim cum a ſacris ſint interdicta concilijs, admirari non deſinebant: quia quo ad perditos quoſdam nil nobis in medium eſt afferendum. inuidiam enim effugere vel compeſcere impoſſibile cognoſcimus. Poſtremum ſi nullum alium afferemus fructum, ſaltem hoc boni ex noſtro opuſculo poterit proficiſci, quod in hoc libello dogmata à prioribus non magis

transportata, quam derisa legentes malum comperient cum medicina: ex quo facilius vulnerum sanitas expectari poterit: in quos sentes & dumos ne vulgus imperitum sexusque muliebris superstitioni, credulitatique procliuior, vt in prima omnium parente expertus est satanas, incideret, Latino idiomate vti voluimus; & si ob id rudiora verba aliquando admittere ad maiorem rerum declarationem cogeremur. Hæc igitur qualiacunque sint æquis auribus ab omnibus accipiantur, & si cui meliores in manu adsunt lecturæ, vel actiones, vt nec ad ipsa respiciat vehementer hortamur: Tu quoque, heros nobilissime, semel perlegas: tempus enim pernicibus pedibus, & alis pertransit velocioribus, irreparabilem afferens mortalibus de se metipso iacturam.





ANTONII PICCIOLI, SEV RAPITI RENOVATI, IVRISCONSVLTI CENECENSIS, AD ILL^{m}. Lotharium de Comitibus, De Manus inſpectione,

LIB. I.

Intentio operis. CAP. I.

NONNVLLA igitur, vt voti compos fias, Lothari illuſtriſſime, de Manus inſpectione generaliter perſtringamus: nõ ad philoſophandum, ſed ad riſum, & ad ludum: Hæc etenim tractare ad alium finem, nec eſſet ingenuitatis noſtræ aut vitæ inſtitutionis, nec tibi altiſſimis ſapientiæ dedito ſpeculationibus aliquatenus ex profeſſo conducerent, non tamen penitus omnia confundentes, vt facilius memoriam tuam his iocis imprimere valeamus. Primum igitur vnde emanauerit, & an ſit aliquid hæc ſcientia ſiue ars (quo enim nomine potius appellanda ſit, non diſtinguemus) & quid, & de eius ſubiecto:

poſtremum circa illud ſermonem protrahentes, quatenus in præſentia opus ſit, cum modo ſpeculandi aliquas tibi non diuinationes ſed ſpeculationes raptim deſcribamus; cætera ex aliis quos patefaciemus, ſi tibi curæ erunt, copioſius videre poteris. Sed iam rem ipſam aggrediamur.

De origine inſpectionis Manus, eiuſq; ſcriptoribus. CAP. II.

Vniuerſam rerum cognitionem vſumque ab obſeruatione pendere manifeſtũ eſt, quod facile potuit animaduertere quicumq; per artium ſcientiarumue principia, vel per eorum deſcendentes concluſiones & theoremata aciem intellectus dirigere conſueuit. ſed & mores hominum habituſque ex præſcripto mortalium placitu diſcrimina ſortiuntur: niſi quod pauca quædam diuino iuſſu vel monitu hominum mentibus inhærent. præter quæ nulla vnquam humana ſpeculatio vel actio in hac vitæ vmbra per manus poſterioribus inſeritur, quæ non ab experientia vel priorum volitu proficiſcatur. Quamobrem nunc eandem experientiam rerum eſſe magiſtram audimus, nunc ſenſum originem præbere noſtris cognitionibus ſcribunt Peripatetici: nunc Ipſe dixit inquiunt Pythagorici. Longum eſſet profecto omnes in fontem riuulos reducere: ſed vt lucẽ aliquam noſtro ſermoni præbeamus, quædam ſummatim exemplorum gratia ſunt examinanda. Leges igi-

ges igitur, vt hinc exordiamur, quicquid gentilitas de Mercurio, Oromani, Saturno, Minerua, Vesta, Ioue, Apolline, vel Ægeria mentita sit, totam a principe contrahunt auctoritatē. Non enim alia de causa iura homines ligant, quam quod iudicio populi recepta sunt, qui communi consensu omne imperium ac potestatem in principem cōtulit. vnde quod principi aut populo placuit, hoc tum per consuetudinem, tum per cōstitutiones legis habet vigorem. Omnis ergo ciuilis prudentia ex sola hominum opinione voluntateq; dependet, nulla alia ratione introducta, quam vel honestate morum vel commoditate viuendi, vel auctoritate Principis, vel vi armorum. Hinc tot plebiscita, principum placita, magistratuū edicta, responsa prudentum originem traxere. In quorum interpretatione, tanta glossarum congeries, doctorumque verbositas nil nisi propria continens obstinata deliramenta, dietim consarcinatur. Præterea Medicinam siue dogmaticam, siue operatricem, methodicam videlicet & empiricam accipias, nil minus conflauit obseruatio experientiaque. Sic causarū agnitio, signorum notitia, rerum qualitates, corporum diuersæ habitudines, gradusque in memoriā hominum reuocata: sed & tangere arteriam, respicere vrinam, inspicere linguam, palpitare latera, explorare excrementa, victus cōsuetudinem inquirere, totaq; medicamentorum præscriptio, symptomatum, affectuū, humorum, dierumq;

criticorum doctrina, cognitio virium tam elementorum, quam radicum, herbarum, florum, fructuum, seminum, animalium, mineraliumque vniuersa experientia sunt & vsus. Quid syderum cursus, altitudines polorum, Zodiaci partitiones, signorũ ortus & occasus, lumina rium obumbrationes, circulorum positiones obliquitatem sphæræ rectitudinemque, æquinoctia, dierum noctiumque inæqualitates, nisi obseruatio posteris reliquit? Quis Hydras, Dracones, Hercules, Ariadnas influxusq; calidos vel siccos aspectus, domos, exaltationes, retrogradationes, horoscopos ascendentes in cælo confinxit nisi hominum volitus? Purum est mortalium decretũ exploratioque, vnitas, binarius, ternarius, par imparque, eorumque Pythagoricæ virtutes: nec nõ & lineæ, & punctus & superficies & corpus: vnde lignea columba volans Architę, cælum æneum volubile Archimedis: statuæ æreæ loquentes Mercurii, & similia. Ex hoc fonte progressa est triplex illa videndi ratio, directa, reflexa, refractaque radiorum proiectiones inquirens, vmbrarumque & lucis diuersas vestigans figurationes: nec non cælestium corporum varietatem, distantiam, magnitudinem, motum, eorumque indagat reuolutiones. Sic & fulminum, fulgurum, nubium, caliginum, grandinum, pluuiarum, niuium, roris, pruinæ, cometarum, trabium volantium, caprarum saltantium percepta notitia. Sic & orbis per stadia & milliaria commensuram

ſuratio montium, collium, vallium, ſyluarum lacuum, fontium fluminum, marium, littorum portuumq; diſtinctio, & gentium & populorum, & regnorum, & prouinciarum & inſularum, & ciuitatum & morũ, & veſtium, & quorumcumque memorabilium in vulgus prodiit. Vlterius in ſolo vſu maiorum auctoritateque conſiſtit, quibus placitum eſt ita rem vocari, ſicque ſcribi, verbaque ſic componi & conſtrui verborum & nominum regimen, conſtructio, ſignificatio, numerus, caſus, declinatio, genus, perſona, tempus, & modus, & reliqua: cumq; his ſpondæus, dactylus, iambus, trochæus, anapeſtus, omniſque poetica menſura longa breuiſque. Sed & rhetorica inuentio, diſpoſitio, narratio, exordium, epilogus, confutatio, confirmatio, diuiſio, pronunciatio, memoria cum ſuis fontibus topicis generibuſque iudicialibus demonſtratiuis & deliberatiuis, figuris, coloribus fuciſque, eodem modo excogitata fuit. Nec diſſimile inuentum apparet logicus ſyllogiſmus cum ſuis terminis, propoſitionib. conuerſionibus, oppoſitionibus, prædicatis, ſubiectis, mediis, figuris, concluſionibus, conſequentiis, antecedẽtiis, aſſumptis, directis, indirectis, ſuppoſitis, abſolutis, cæteriſq; circa inania verba innumerabilibus captiunculis, quib. adſtipulantur & genus, & ſpecies, & proprium, & accidens, & differentia, & ſubſtantia, & quantitas, & qualitas, & relatio, & vbi, & quando, & ſitus, & habitus, & actio, & paſſio. Quid quod &

forma & materia, & priuatio & motus, & tempus, & vacuum & infinitum, & generatio, & corruptio, nil nisi humana opinio est & statutum? omittamus tot abstractarum substantiarum delineata phantasmata, tot circa intellectum agentem practicum & adeptum, seu sensum rationem & mentem & apicem mentis longa obseruatione canonizata dogmata: tot ideales virtutes exemplaria rationum, seminumque idealium gradus. Præterea nonne & iustum & iniustum, & turpe & pulchrum, & honestum & inhonestum, & bonum & malum, & virtus & vitium, & licitum & illicitum ita apparent & appellantur, quia ita humana voluntas statuit, decernitque? Ecce apud Athenienses fas erat germanam vxorem ducere, nephas apud Romanos. Turcis hodie, olim Hebræis honestum pluralitas vxorum, pellicumque: apud nos turpissimum, imo & scelus habetur. Laudabile Græcis adolescentulis plures habere amatores, & fœminis & viris in scenam prodire populoque præbere spectacula; hæc eadem Romanis infamia inhonestaque: at Romana coniux pulchre in cõuiuium passim ducebatur, primasq; tenebat ædium partes; Græcis contra vtrumque turpissimũ nisi inter propinquos: Ægyptiis & Lacedæmoniis furtum honorificum; apud nos fures suspenduntur, strangulanturque. Coniugium commune placuit Platonicis: a cæteris detestatur. Voluptas Epicuro summum bonum: Socrati summum

mum malum; Zenoni quid indifferens. Nunquam finis dicendi fieret si vsum obseruationemq; inquireremus in musicalibus tonis vel diapentibus: in rusticis aratris insertisue: in architectticis balistis, & tot domorum & pontium cæterarumque machinarum idealibus configurationibus: in colorum picturali mixtione, & breuiter in sculptura, metallaria, piscatione, & in qualibet artium manualium, vel in ceremoniis, imaginibus, festis, templis, religionib. (excepta nostra) & centum aliis generum similium differentiis: sed cum possit perspici experientiam & hominum placitum, vt diximus, rerum esse parentem & præceptorem, sicuti alias diuinationes tam Cabalisticas quam magicas omnes, & astrologicas, elementales, mathematicas sortilegasque ex eadem causa progenitas nemini dubium: ita Chirosophiam siue Manus sapientiam cum ceteris processisse, neque alios habere inuentores, vel progenitores, quam eosdemmet artium aliarum scientiarumue, reliquarumq; rerũ animaduersionem scilicet & vsum, vnicumq; priorũ decretũ. Cernentes etenim antiqui, quod qui ad regna, ad honores, ad sacerdotia, ad coniugia, ad regales amicitias accedebant, in manibus sępe quasdam consimiles in situ consimili lineas habere reperiebantur, tales ad talia peruenire vt plurimum credidere, & sic paulatim & infirmitates, & lites, & itinera, & nauigationes & homicidia, & infamias, & vulnera, & mortes, & vir-

tutes,& vitia,& reliquos aduersos, felicesue, tam corporis quam animi & fortunæ euentus, in particularibus hominibus continuo inuestigantes obseruantesque,& lineas,colores figurasque in ipsorum manibus semper speculantes,similiaque,sicuti diximus,in similibus accidentibus comperientes, tandem vnus post alium duce Hermete,siue Mercurio,quem multi Mosem arbitrantur,varia super his dogmata primum constituere: Deinde successu temporis in artem seu scientiam, paulatim vniuersa colligentes, redegerunt: sic Manus inspectio fabricata fuit. Quę quidem facultas,me hercule,licet rei veritate perspecta ridicula sit fere vniuersa,mendaxque & fabulosa, errorumque multiplicium referta,vt omnis mundana opinio: attamen non ignobiliores nec pauciores cæteris promeruit scriptores: siquidem & Arabas,& Græcos,& Indos, & Hebræos, & Chaldæos,& Latinos,& Italos, altiorisque philosophiæ vt plurimum vestigatores recensere potest; qui satis ampla volumina labore non leui, diligentiaque non contemnenda, in ipsam conscripsere: tantum aliquando succrescit diffunditurq; humanum deliramentum, & tam grandem irreparabilemque ociosa intellectus caligo horarum affert detrimentum; quoniam præter hos, quorum nomina proxime referemus, dicuntur etiam in isti commentitiis inuentis dies inutiliter contriuisse Almadal Arabs,Pythagoras Samius,Pharaotes Indus, Al-
chindus,

chindus, Zopyrus, Aristoteles, Galenus, Maternus, Palæmon, Constantinus, Aphricanus, & ex Romanis principibus Lucius Scilla & Cæsar Dictator, eiusdem studiosissimi circumferuntur. Ex posterioribus vero Michael Sauonarolla, Antonius Cremisonus, Petrus de Arca, Ioannes de Indagine, Frăciscus Asculanus, & nescio quis doctor incognitus, & Doctor Gallicus, & Vgo cum plerisque aliis grauissimis viris, quorum cæcitatibus & insaniis nos quoque numerum addidisse ab aliis alias fortasse recensebimur.

Inspectionem Manus aliquid esse, & scientiam subalternamque Physiognomoniæ.

CAP. III.

Auctores ergo qui cum supradictis in hac speculatione copiosa edidere commentaria, vt Hermes eiusdem inuentor secundum aliquos, Plato, Auerroes, & Auicena, quos tres tamen numquam nos nisi relatos legimus, Philemon, Morbeth, Formica, Antiochus, Ptolomæus, Albertus Magnus, Petrus Apponensis, Gulielmus Nurice, Hieronymus de Manfredis Bononiensis, Alpharibius, Blasiusque de Parma, Helenus Priami, Leophritus, Rasis, Andreas Cornus, Tricassus, Cocles & reliqui, aliquid ipsam esse attestati sunt. Cum enim Deus & natura nihil agat frustra, secundum Aristotelem

in primo Cæli; nec deficiat necessariis, nec abundet superfluis, lineas manus nõ esse in casum, sed ad multorũ indiciũ ꝓgenitas cõclusere: præsertim cum ipsemet Aristoteles in secũdo Posteriorum scriptum reliquerit, quod per signa corporis nobis nota syllogizamus dispositiones animæ: Et in primo animalium libro cap. 15. inquit: Pars interior manus vola dicitur, carnosa est, & scissuris vitæ indicibus distincta reperitur, longioris scilicet vitæ singulis, aut binis ductis per totam: breuioris binis, quę non longitudinem totam designent. Et in Problematibus, cur qui manus cæsuram per totam obtinent palmam, viuere diutius possint? Vlterius Agrippæ verba in lib. 1. de occulta Philosophia referamus: Ex istis denique (ibi scribitur) figuris & gestibus Physiognomonia & Metoposcopia diuinationum artes dependent, ipsaque etiam Chiromantia, prædicentes futuros euentus, non vt causæ, sed vt signa per effectus consimiles ab eadem causa causatos. Et licet hę diuinationum species per inferiora & debiliora signa vaticinari videantur, non tamen aspernanda nec damnanda sunt eorum iudicia, quãdo non ex superstitione, sed ex partiũ omnium corporis harmonica correspondentia ꝓgnosticantur. Postremo legitur apud Iob, Qui in manu omnium hominum signat, vt nouerint singuli opera sua. (etsi non lateat nos Manum pro libertate arbitrii iuxta quorundam interpretationẽ ibi a Propheta accipi) Ex quibus elici potest

test, hanc speculationẽ aliquid esse: artem vero seu scientiã multi negauere, arguẽtes, quod lineæ aliquando recedunt, aliquando nouæ in manibus videntur, vt patet ad sensum præcipue montes obseruantibus: sed accedentia & recedentia contingentia sunt, & contingentium scientia nulla, secundum Aristotelicas traditiones in Posteriorum libris: ergo nec linearum. Respondetur, quod linearum principalium, de quib. inferius suo loco mentionem faciemus, non est accessus neque recessus, quoniam earũ esse perpetuatur in specie, & ipsarum est scientia. Quæcunque enim signorum stabilia sunt, aliquid stabile significare, idem prodidit Aristoteles in Physionomicis: illæ vero quæ accedunt & recedunt, lineæ sunt accidentales, circa quas inspector noster principaliter non versatur: vel dicamus quod lineæ in montibus manuum debilitantur, vel denuo, in ipsis formantur, secundum quod planetæ successu temporis vires assumunt, vel amittunt. Corpora enim superiora plurimum posse ad inferiorum mutationem nemini dubium. vnde non contingentibus lineis, sed primo & maxime planetarum viribus tunc inhærendo satis aliquid speculandum sese offert intellectui nostro de quo scientia fiat. Hinc est quod aliquorum sentẽtia velut Agrippæ, in hac facultate nulla diuinatio sine Astrologiæ adminiculis parum aut nihil veritatis afferre videatur: Siue enim corpus (inquit ille in secundo de Occulta philosophia

cap. 53.) siue vultum, siue frontem, siue manum inspiciat Physionomus, siue somnium, siue auspicium coniectator scrutatus fuerit, si rectum futurum sit iudicium cæli figura pariter scrutanda erit: ex cuius indiciis vna cum similitudinum signorumque coniecturis veridicæ significatorum nascuntur opiniones. Et paulo superius: Astrologiam clauem ad omniũ arcanorum notitiam necessariã radicem fundamentumque omnium diuinationum appellauit. Hanc igitur esse scientiam siue artem & subalternam physiognomoniæ, sic ostendamus. Aristoteles in Posterioribus tria in scientia consideranda proponit, subiectum, principia communia & propria, & suas passiones: quæ tria insunt huic speculationi: siquidem eiusdem subiectum est homo, licet idem quoque subiectum sit physionomi, sed & medici: nec est inconueniens, cum diuersimode ab altero præsertim medico accipiatur, quemadmodum videmus idem ens, non tantum metaphysici, sed & naturalis philosophi & logici subiectum considerari, sed alio modo. Prout enim intellectiuum metaphysicæ, prout reale acceptum physicæ, & prout ens rationis logicæ tribuitur; sic homo secundum quod natura bonus, & prout manus lineis, coloribus, quantitate, & qualitate quadam distinctas habens subiectum nostri speculatoris: prout faciem & totum corpus præter hæc variis animæ passionibus impressam gerit, physiognomoni

subiectum

ſubiectum eſt: prout vero aduerſa humorum diſſonantia laborans, medici. Hac autem ratione inſpectio Manus phyſiognomonię ſubiicitur, & non e conuerſo: quia circa nobiliorem hominis partem hoc eſt caput verſatur phyſiognomonia: & cum dignius ſubiectum digniorem quoque efficiat ſcientiam, naturaque inſitum ſit, vt ignobiliora inſeruiant nobilioribus; hinc factum quod ſpeculatio manus ſubiecta conſideretur capitis ſpeculationi, ſicuti manus ipſæ inſeruire capiti natæ ſunt & genitæ, & non caput manibus. Non tamen quia capitis & ſic alterius gratia a natura manus fabricãtur, ſubiectum ſpeculationis noſtræ ignobile illiberaleque obſeruitiũ cenſendum erit. Quinimo cũ capite cuncta animalia communiter conſtituantur, ſolus homo ſanctior cæteris mentiſque capacior altæ, & qui in cætera dominatur, manuum inſtrumento animali ſapienti tantummodo accommodato, ab opifice primo dignatus eſt: & quia manus habuit, ideo bipes erectuſque factus, vt ſolus ad ſidera vultus extollat: Quæ quam plenæ exiſtant artificii ſummi in cuti, cartilagine, membranis, muſculis, neruis, tendonibus, venis, arteriis, adipe, oſſibus, articulis, vnguibus, ceteriſque ligamentis, Galenus teſtatur in libris de vſu partium: In quibus inquit, qui hic non admiratur artem naturæ, aut intellectu caret, aut priuatim ſua quippiam intereſt. Siquidem homini manus conceſſit natura pro

omnibus ſimul defenſoriis armis organum ad omnes artes neceſſarium, pacique non minus quam bello idoneum. Quis enim ignorat his ipſum vti ad conſtructionem domus, muri, haſtæ, thoracis, & ſimilium? Nonne & harum auxilio veſtem texuit, rete, naſſam, ſagenam, velumque contexuit? qua re non ſolum his quæ in terra ſunt animantibus, ſed & aqueis, & aereis dominatur. Quid, quod manib. leges ſcripſit? aras & ſimulacra diis erexit? nauem, ſtipulam, lyram, ſcalpellum, forcipem, & alia vniuerſa artium inſtrumenta cõſtruxit, commentarios etiam ſpeculationis eorum ſcriptos relinquens? quid non & nobis licet, literarum & manuum beneficio, etiam nunc colloqui cũ Platone, cum Ariſtotele, Hippocrate, Orpheo, Homeroque, & aliis antiquioribus? Igitur nobiliſſimum manus inſtrumentum, ſubiectumque; ſpeculationiſq; noſtræ eadem ratione ſcientia nobiliſſima. Cuius facultatis, vt reuertamur ad propoſitum, principia communia ſunt, vt exempli gratia, talis complexio indicat talem bonitatem vel malitiam, vt ſanguinea liberalitatem, cholerica iracundiam, & ſic de cæteris. Communia autem iſta dicuntur, quia & phyſionomo & etiã medico inſeruiunt: multum enim refert, medicum ad introducendam inter humores concordiam, prædominantem cognoſcere. Propria principia ſunt, vt talis mõs, tali influxui cæleſti ſeu planetæ correſpondet, vt mons digiti medii Saturno, anularis ſoli: de
quibus

quibus montibus suo loco sermonem habebimus. Et propria ideo dicuntur, quia cum propriū sit, quod omni & soli & semper conuenit, tales montium considerationes & soli & omni manus inspectori semper conueniunt. Postremo passiones huic subiecto attributæ sunt speciales hominis bonitates positiuę per boni pręsentiam, negatiuæ aut priuatiuæ per boni absentiam, vel contrariæ per mali præsentiam. malitia enim passio est. Cum igitur hæc speculatio, suum subiectū passiones & principia habeat, non dubium est quin speculator noster demonstrationem possit conficere, & disciplinam in discipulo generare. His ergo breuiter, & inspectionem manus aliquid esse, & esse scientiam Physiognomonię subalternam, demōstrasse sufficiat: nunc ad dicendum quid sit, & de eius subiecto, transeamus.

De definitione scientiæ, & diuisione Manus. CAP. IIII.

Multæ de manus inspectione a scriptoribus traditæ sunt definitiones: sed ne in disputationibus, tempus, quod iocis destinauimus, conteramus, dicamus pro nunc, quod Manus inspectio est scientia cognoscendi inclinationes virtutum & passionum naturalium, & bonam & aduersam fortunam cuiuslibet per signa sensibilia manus: non enim contra libertatem arbitrii, sed ex naturali inclinatione seu cęlestium

influxu,& ſic contingere futura contingenter iudicamus. Hanc ſeu definitionem ſeu deſcriptionem, ſeu quomodo tibi melius videbitur accipias volumus, LOTHARI illuſtriſſime, dũmodo nos vlterius progredi ſine aliqua ſuper hoc diſputationis mora tui ſubtilitas intellectus permittat. Tibi autem aduertendum arbitramur, quod virtutes diximus, vt iuſtitiã, temperantiam, robur, ſanitatem: Paſſiones, vt odium, amorem, triſtitiam, & gaudium, & iram, & huiuſmodi: Fortunam bonam, quæcumque ab extrinſeco bona, vt diuitias, & honores: aduerſam, vt paupertatem, infamiam & vulnera. Signa autem ſenſibilia intelleximus, vt lineas, figuras, colores, formam, piloſitatem: & denique quantitatem & qualitatem manus, vt obliquitatem, longitudinem, breuitatem, vel aſperitatem, lenitatem, caliditatem, & frigiditatẽ. Sed quia tam manus quam ipſius lineas ſubiectum huius ſcientiæ accepimus, & manus ſunt tanquam baſis & fundamentum lineatũ, adeo quod ſine ipſis conſiſtere nõ poſſent; primum de manu, deinde de lineis terminemus initio ſecũdum naturam ſumpto. Nec te moueat, quod ſubiectum huius ſcientiæ nunc manus, & linea a nobis accipiatur, cum prius generaliter hominem eſſe dixerimus, quoniam ad hanc partem tunc rationem habuimus: ſiquidem tota hominis complexio, & in toto corpore tota, & tota etiam in qualibet corporis parte reperitur. quod cum ſenſibus pateat, ſermonem
continue

continuemus. Manus ergo eſt pars organica corporis humani, in qua apparet ſenſus tactus, & diuitur in tres partes, quas nerui & venæ circumligant: raſcettam, palmam, & digitos. Raſcetta, quæ & reſtricta dicitur, eſt pars exiſtens inter os brachii montemque pollicis, & manus. Palma eſt pars incipiens a linea dictæ raſcettæ, vſque ad digitorum radices ſe extendens, ibi quoſdam connectens tuberculos, qui a ſimilitudine montes appellantur, & vnicuiq; ipſorum vnum planetam dominari arbitrantur. Et ſunt ſex: Mons pollicis, qui Veneri, ſecundum meliorum ſententiam tribuitur: indicis qui Ioui adſcribitur: medii Saturno: medici ſeu anularis Soli: auricularis Mercurio: ſextus eſt mons manus, qui in percuſsione poſitus, vna cum quadrangulo, qui eſt illud ſpacium, quod inter menſalem & naturalem lineā interiacet, vt ſuo loco videbimus, Lunæ aſsignatur. Septimo vero planetę videlicet Marti triangulus, de quo infra dicetur, cōceditur. Non ignoramus aliter ab aliis has planetarum poſitiones ſomniari, ſed ſeditioſa deliria accumulare non eſt noſtri propoſiti. Cur autem hęc eadem non appellauerimus futiles inſanias, & meras nugas? Etenim ſi harum poſitionum rationem velint reddere noſtri ſpeculatores, nōne venereas vires in pol-

lice & martios influxus in triãgulo commentos dicent, quia sic superioribus placitum est? Quapropter quis nõ videt, sicuti Iouem indici, ita eũdem auriculari adscribere potuisse? conclamabunt hic forte non disputanda sed credenda esse quarumcunq; artiũ vel scientiarũ principia: At me hercule, principia omnia stabilia sunt & immutabilia, & semper eodẽ modo ad effectus se habentia. Quæ quidem quomodo in supradictis possunt reperiri, si diuersimode constituta ad idem tamen producendum habilia remanerent? Hinc est quod de eorum quoque situ auctores ipsi dissentire non dubitant. sed incæpta prosequamur. Digiti ergo in tres iuncturas diuiduntur & vngues, præter pollicem qui duas tantum habet. Triplex vero os particulariter in digitis natura constituit, non tantum ad firmitatẽ, sed vt ad omnes actiones tam circulares quam rectas & inflexas, diuersimode essent idonei; quem numerum aptissimum probat Galenus in libris de vsu partium. Et dictus est pollex a pollendo: vel quia cæteris fortior, vel quia aptior ad inseruiendum. ipsemet enim solus cæteris omnibus famulari potest: seu, quia, vt inquit ibidem Galenus, oppositis simul quatuor digitis vtilitatem & ornamentum æquiualens præstat: vnde & ab Hippocrate magni nomen obtinuit,

cum a quibusdam etiam Promanus vocitaretur. Index vero appellatur, eo quod res cum ipso demonstrare solemus: medius qui & infamis dictus a positione, quoniam situs est in medio aliorum: anularis, & auricularis ab effectu. illo enim anulos gerere homines, hoc aures purgare solitos manifestũ est. Situs exterior manus, dorsum palmæ & digitorũ, seu dorsum manus dicitur: pars vero interior palma, pars inter pollicem & indicem superior, eius opposita inferior, quæ & percussio ab effectu, pinguedo, venter, scissioque vocata est. Alii portionem inter pollicem & indicem dextram nominant, oppositam sinistram. Locum inferiorem rascettæ, superiorem radicibus digitorum, anteriorem palmæ, & posteriorem dorso assignantes. Hactenus quid hæc scientia, & de manu generaliter dictum sit: nunc de lineis vt totum terminemus subiectũ, erit sermo: si tamen prædictis adiecerimus tria circa manum considerari a speculatore nostro tamquam accidentia, pilos, quantitatem, & qualitatem. Quantitatem autem longitudinem, breuitatem, vt supra, & cætera huiusmodi intelligimus: qualitatem vero colorem, asperitatem, lenitatem & similia dicimus.

De definitione lineæ, & quatuor principalium descriptione, scilicet Vitalis, Epatis, Cerebri, & Mensalis.

CAP. V.

Postquam de manu quædam ad finem nostrum sufficientia tractauimus, nunc alteram partem subiecti, hoc est lineas aggrediamur, a definitione iterum exordientes. Linea, secundum Euclidem & cęteros mathematicos, est longitudo sine latitudine, profunditate carens: sed nos arbitramur, quod linea in hac scientia improprie linea appellari debeat. Constare enim latitudine & profunditate aliqua nemini dubium: si consideratur, inspectorem nostrum, (vt inferius videbimus) non tantum a longitudine & breuitate, sed a latitudine & profunditate, apparentia & colore, & multis aliis, quæ sensibus subiiciuntur, iudicium elicere. At mathematica linea inuisibilis est, & vix imaginabilis. vnde ipsam relinquentes, dicamus, quod linea nostra est quędam longitudo, aliquali latitudine cōstans & profunditate. Sicuti autem apud mathematicos plures considerantur linearum species, vt rectæ, obliquæ, curuæ, circulares, & reliquæ: sic apud nos quædam sunt accidentales, quædam naturales. Accidentales dicuntur quæ proueniunt ex labore, vulnere,

vulnere, siti, infirmitate, frigore, fame & timiditate, & de his nunc modica seu nulla erit cõsideratio. Naturalium vero quædam sunt vniuersales, aliæ particulares. Vniuersales appellantur quę hominis cõsequuntur naturam, vt puta specificam, & tales reperiuntur in hominibus bene dispositis. Particulares autem quæ propriũ cuiuslibet indiuidui temperamentũ concomitantur, & tales in diuersis diuersę apparent, & de istis exceptis quibusdam notabilioribus, prout occasio dabitur, sparsim tractabimus. Naturales quidem vniuersales quatuor videntur, & quælibet diuersimode nominatur, scilicet, Vitalis, cerebri linea, Epatis, & Mensalis, harumque naturam potissimum speculabimur, quoniam per earum quamlibet, membrorum principalium dispositiones cognoscuntur. Siquidem Vitalis, cor: Epatica, epar: cerebri linea cerebrum, mensalisque totius corporis dispositiones designat. Prima ergo vitæ linea est illa, quę oriens inter indicem & pollicem, circuit pollicis montem vsque ad rascettam terminans, & dicunt Anatomistæ, hanc cordi respondere, perque ipsam humanam vitam meditamur, diuersaque habet nomina: nam & cardiaca, cordis, temporalis, & dextra trianguli supremi appellatur. Secunda linea cerebri est illa, quæ initiũ sumens ab ortu

vitalis, inter pollicem & indicem extenditur per fundũ palmæ, cuius debita mensura terminatur ad montem manus, respondetque cerebro, diciturque etiam linea media naturalis, linea capitis, linea viuifica, linea prosperitatis, siue sinistra trianguli. Tertia est epatis, epati & stomacho respondens, cui & tabularis, & basis trianguli nomen tribuitur, eo quod prædictis iungitur lineis, & fit basis earum triangulum constituens. Ista quandoque apparet in manu, & tunc signat bonam complexionem & digestionem, quandoque non, seu non tota; & tunc contraria indicat. Portiones autem ad quas istæ tres colligantur lineę, angulorum nomen obtinuere, spaciumque inter ipsas trianguli: & ille est quem iam Marti asignauimus, ibique est concauum manus. Quarta vero linea mensalis appellata est, quia ex vna parte mensam palmæ constituat, quam ex alia naturalis claudit, & est illa quæ sub mõte auriculari prope dorsum egrediens tres digitos complectitur, ipsum auricularem, anularem, & medium, cuius debita mensura terminatur ad diametrum ipsius medii, vel secundum alios, in principio, & præcipue ad radicem montis indicis. Varias quoque hæc sortitur voces. nam moralis dicitur, eo quod mores ostendat, linea necessaria, quia propter necessitatem

clausuræ

clausuræ vel flexionis digitorum, & manus creetur: linea Martis, quia crudeles, iniquos, inuidos & proditores manifestat: linea vesicalis seu renalis, propterea quod ægritudines circa renes & vesicam demonstrat: linea generatiua, quia potentiam gignendi: epidimialis seu pestifera, quia tali morbo moriturum denunciat. sed & thoralis dicitur & linea testiculorum seu spermatica: & hoc ideo, quia generatur a spiritib. procedentibus a membris regalibus, vt est cor, epar, cerebrumque; ostenditque robur totius corporis. Vidimus de quatuor lineis principalibus scilicet linea vitæ, cerebri, epatis, & mensalis, de triangulo, & etiam de mensa manus, seu quadrangulo si recte attendimus: reliquum vt de quibusdam minus notis scribamus.

De sororibus linearum principalium, & de linea solari, via lactea, & cingulo Veneris. CAP. VI.

Quamquam præter quatuor prædictas vniuersales lineas, cæteræ omnes, vt etiam aliquando epatica, nunc in manib. appareant, nunc vero nullũ penitus relinquant vestigiũ: attamen cum vnaquæq; ipsarum suas habeat sorores, & præter has inuentæ sint aliæ tres lineæ, quæ proprio signantur nomine, vt linea solaris, via lactea, & cingulus Veneris. & quæ vbi reperiũtur ma-

ximam obtinent efficaciam, ideo non ab re duximus esse, si illarum quoque figuram atq; sitũ designaremus. Vitalis ergo duas habere sorores dicitur, quarum altera incipere solet cum ipsa inter pollicem, & circuens eiusdem pollicis montem tanquam parallela vsq; ad rascettam se extendere: altera vero soror proficisci a rascetta, & per mediam palmam vsque ad lineam, & quandoque vsque ad radicem digiti medii, vocaturq; Saturnina. Sorores naturalis epatis & mensalis sunt lineę vtrisque & proximæ & parallelæ. Linea solaris egreditur a mensali recta ad radicem anularis ascendens multis referta nominibus: quoniam linea magisterii, prosperitatis, ingenii, regalis famæ, lucri & principum appellatur. Via lactea ab inferiori parte rascettæ originem trahens, inter triangulum & montem lunarem, vsque ad auricularis se extendit radicem, & dicitur lactea, auctore Coclite, quem tamen impugnat Tricassus, quia homines ostẽdit delicatiores, quãuis apud aliquos via combusta appellata comperiatur. Postremum cingulus Veneris est linea cingens perfecte mediũ, & anularẽ siue eorũ tuberculos, inter indicem & mediũ initium sumens, & desinens inter auricularẽ. Quæ omnia in sequenti figura sigillatim videri poterũt. Sed iam ad iocosas speculationes veniendum est.

c

q

ta,tertio de palma,postremum de digitis
ſcribemus.Dicendum igitur de manu, ſed

videri poterũt. Sed iam ad iocosas specu-
lationes veniendum est.

INDEX. MEDIVS.
MEDICVS.
AVRICVLARIS.
IVNCTVRA IIII.
IVNCTVRA III.
IVNCTVRA IIII.
IVNCTVRA IIII.
IVCTVRA II.
IVNCTVRA II.
IVNCTVRA II.
IVNCTVRA II.
POLLEX
PORTIO SVPERIOR.
IVNCTVRA I. RADIX.
IVNCTVRA I. RADIX.
IVNCTVRA I. RADIX.
IVNCTVRA I. RADIX.
MONS SATVRNI. MONS SOLIS.
CINGVLVS VENERIS.
MONS IOVIS.
IVNCTVRA II.
MONS MERCVRII.
LINEA SOLARIS.
QVADRANGVLVS.
LINEA MENSALIS.
IVNCTVRA I RADIX.
LINEA MEDIA NATVRALIS.
TRIANGVLVS MARTIS.
SOROR VITALIS
LINEA VITALIS
LINEA SATVRNINA.
LINEA EPATIS
VIA LACTEA.
MONS VENERIS.
MONS LVNÆ.
PERCVSSIO
RASCETTA.

Hæc figura inſerenda eſt ad calcem libri primi, pag. 24.

u-
ré.
im
cu-
I-

in
q
h
v
h
r
q
g
ſ
n
p
ſa
vi
n
ti
c
p
ti
&
q
c
q
t
ſ

LIBER SECVNDVS.

Traditur ordo in prognosticationibus signandis obseruandus.

CAP. I.

Excerpsimus, LOTHARI illustrissime, in superioribus inspectionem manus aliquid esse, & esse scientiam, subiectumque habere manus & lineas, de quibus tantum verba fecimus, quantum ad vniuersalem huius facultatis ingressum tibi satis futurum arbitrati sumus. Nunc quod est reliquum nostri propositi, quasdam contingentes & cõiecturales prognosticationes seu speculationes, super prædictis trahamus in mediũ. Et quia de manu prius scripsimus, deinde de quatuor lineis vniuersalibus, ipsis sorores suas, lineam solarem, viam lacteam cum cingulo Veneris subnectendo, ideo a manu exordiendum vltimum locum lineis notabilioribus concedendo. Et cum ipsam manũ in rascettã, palmam & digitos secuerimus, ibi de quãtitate eiusdem & qualitate, hoc est tactu & colore, pilis, neruis venis, triangulo, quadrangulo & montibus sermonem facientes: non erit extra ordinẽ, si prius aliqua de manu in generali, deinde de rascetta, tertio de palma, postremum de digitis scribemus. Dicendum igitur de manu, sed

ante omnia modum & quædam notanda, quæ ſeruari debent in iudicando tibi ſcire neceſſe eſt.

De regulis circa iudicia cuſtodiendis.
CAP. II.

Ariſtoteles in primo Rhetoricorum inter alia ſcribit: quod amor, odium & commodum in cauſa ſunt, quod iudex ſæpenumero veritatem perſpicere nequeat, ſed iudicio propria voluptas aut dolor officiat: ideo cum huc aciem totam direxerimus, vt tibi ſic aditum ad hanc ſcientiam patefaciamus, vt quam poſsibile ſit, proximum veritatis ſcopum, ſemper in prognoſticationib. tuis attingas. Quamuis quo ad vtilitatem nec vnum penitus verbum habeamus (quis enim diuitias & nobilitatem ipſam his oculis aduertere lucri cauſa niſi fatuus ſit, & a tota mente alienus ſuſpicetur?) Attamen cum & amorem & odium in pluribus multum potuiſſe legerimus, & poſſe animaduertamus; principio cauendum duximus, ne mulierem quam exardeſcas, aut virum a tuis diſſonantem ſpiritibus, aut teipſum inſpicias: quoniam his paſsionibus facillime velantur oculi: ſed nec manus ebrioſi, crapuloſi, defatigati, aut extenuati hominis, aut callis obducta ſpectanda erit: ſiquidem ebrietas, crapula, defatigatio calefa-

calefactione extrahit ſanguinem a centro ad circumferentiam, calli obtenebrãt lineas: extenuatione vero calor naturalis eſt exhauſtus. Sed nec pueri intra quadriennium, vel ſecundum alios ſexennium. tunc enim ætas gubernatur a luna, vnde materia eſt fluuida & incomperta ſuſceptiliſque, & ad varias præparata ægritudines. Fallet quoque iudicium ſi aliquem inſpicias, in metu, paſsione, infirmitate, conualeſcentia, nimio gaudio, triſtitia, & præcipue in furore coitus, corpus enim his alterabile eſt. Notandum ergo vnicam lineam raro habere ſignificatum bonum vel malum ratione loci: exemplum, non ſemper linea in monte Iouis indicat bonum, quia ibidem reperiuntur lineæ minantes vulnera, ægritudineſque: ita in monte Saturni bonum aliquando promitti viſum eſt. vnde concluditur non valere a ſitu argumentum de proſpera vel aduerſa fortuna. Vlterius non poſſunt minutim accidentia fortunæ dici ſicuti accidere poſſent, & an ſit cum ferro aut lapide, ab equo vel aſino vulnus paſſurus ille cui illud portendunt ſigna; ſed in generali prognoſticandum: vt puta videbis lineam vulnus ominantem in manu, dicere debebis, iſte procliuis eſt ad manus læſiones ſiniſtræ, ſi linea eſt in ſiniſtra, dextræ ſi in dextra,

& ſic in ſimilibus; accipiendo tamen manum ab humeris vſque ad extremitatem digitorũ. Quintuplex enim corporis humani chiroſophica conſtituitur diuiſio, videlicet, capitis, pectoris, brachiorum, renum & pedum. Caput accipitur ab humeris ſurſum; pectus ab vmbilico ad collum, brachia ab humeris ad digitorũ cacumina: renes a coxarum iũctura ad vmbilicum: reliquum inferius pedibus adſcribitur, poſteriora anterioribus generaliter connectendo. Sed nec diſtinguenda eſt læſio, vt puta a gladio vel lapide, ab amicis vel inimicis, niſi forte aliæ concurrant coniecturæ, vt quas exercitium, mores, conſuetudo, vel natura illius qui inſpicitur afferre poteſt; ad hæc enim particularia ſcientia non deſcendit. Animaduertendum præterea, quod his verbis vti ſolent noſtri ſpeculatores in proferendis iudiciis, videlicet indicat, declarat, oſtendit, demonſtrat, denotat, arguit & ſimilia: &, quod verborum & nominum ſignificata, in hac arte aliquando non ſecundum vim propriam, ſed ſimilitudinẽ quandam accipere conſueuerunt, ad linearum accedẽtium robur & efficaciam. ſuſpenſio enim multoties pro quacunque ſuffocatione vel homicidio, & ſuffocatio pro immerſione: & plaga vulnuſque pro tumore: & glandula pro vlcere, vt ſcribũt,

intelligi

intelligi poteſt, ſecundum quod ſigna aquea vel infirmitatum vel inimicorũ dominari in manu conſpiciuntur. Scias quoque quod ſigna oſtendentia venerem maſculam in fæminis, cum ipſæ ſint natura ad agendum impotentes, ad paſsionem conſiderantur. quod exemplum ſeruiat tibi in ſimilibus: licet in hoc etiã fæmina poſſit agens iudicari: quoniam repertæ ſunt quædam mulieres (parcat nobis hic caſtitas aurium tuarum. quis enim turpia non turpiter dicat?) quæ naturam (proh ardor) ad puerorum nates cum ſpermatis emiſsione confricauere. qua luxuria fama eſt Sapphum illam vatem Lesbiam ſe oblectaſſe. Sunt præterea quædam circa manus inſpectionem potius deridendæ, quã obſeruandæ chiroſophorum, id eſt manu ſapientum, diuerſitates: ſiquidem voluerunt aliqui, manum ſiniſtram fæminis in autumni tempore vel hyemis, die & hora Veneris; dextram vero maſculis inſpici debere in vere vel æſtate, die & hora Solis. Creditum eſt aliis tunc demum fæminis dextram ſpeculandam, ſi in fine montis pollicis, non reperientur quinque lineæ ex vna compreſſæ conglomeratæq;, quod ſi appareãt, ſiniſtram: quibuſdam manus tantum puerorum, contra illud quod ſupra retulimus, reſpiciendas placuit, rationem aſsignantibus in paruis manifeſtiora

uideri signa, nõ deletaq; a labore, vel frigore, infirmitatibusue: cuius sentẽtiæ inter cæteros Coclitẽ inuenimus, cui diuersum addidit Tricassus deliriũ, dum genitis noctu sinistram, die dextram considerari confinxit; puerilia sane, & non minus superstitiosa quam impudentissima commenta, quæ non solum refellere, sed referre pudor est. Nam si stella in indice dignitates promittit, cur verno tantum siue æstiuo tempore in masculis vires obtinet? an hyems frigore torpentes cohibet influxus? sed quęnam vis erit illarum quatuor linearum, quod ita inspectionẽ manus pro apparentia diuersificarent? an quia quaternariam aliquam & occultam continent Pythagoricam virtutem? Hæc tantum tetigisse sufficiat. quis enim non omnia ad votum conficta animaduertat? Igitur si hic aliquid pro physicis speculationibus nos afferremus, dextram virorum & sinistram mulierum pro lineis principalioribus; pro cæteris vero, vtramque, vtrorumque spectandam forte arbitraremur, & in qualibet ætate post quadriennium, & quolibet tempore; cætera tamquam ridicula aspernantes, reiicientesque; obseruando tamen secundum priores, quod prius fiat diligens manuum lotio, & quod manus ante per aliquod spacium quiescat, secundũ quod ante-

antecesserit corporis defatigatio, quæ si vehemens, in aliam diem differendum iudicium: tempore æstiuo in loco calori opposito, hyemali frigor. Sicut enim calor relaxat, ita lineas frigus condensat, coloresque vterque variat. sit autem locus radiosus, sed non in solaribus radiis, propterea quod calor solis cutem rubefacit, spiritusque visiuos radiis resoluit: vnde fortasse tutior inspectio ad candelam ardentem, nisi crebra & mobilis flammulæ iactatio luminibus officiat. Quantitas imprimis & qualitas tactus, & forma manus est consideranda; eminentia deinde & depresio montium, color vnguium, & digitorum figura, linearumque dispositio & multitudo, angulorumque coniunctio; & istorum omnium ad inuicem vniuersalis proportio: aduertenda quoque climatum & regionum natura, parentumque si potes, cum exercitio & consuetudine illius qui inspiciendus erit. Alio enim modo iudicandus Gallus, alio Hispanus, alio Italus, alio cynædus, alio sutor, alio nobilis, & alio plebeus vel rusticus, alio denique masculus, & alio fæmina: sunt enim quædam vnicuique propria, & ab aliis ratione sexus, ætatis, dignitatis, fortunæ, atque nationis & sanguinis differentia. Sic fortior masculus, religiosior fæmina,

impetuoſior iuuenis, cautior ſenex, ambitioſior præſes & aulicus, ferocior Germanus, prudentior Græcus, ſic nec progenerant aquilæ colũbas. Narratur quoque principia linearum primæ ætati reſpondere, media mediæ, vltima ſenectuti: abſolute etiam nunquam eſt iudicãdum: quoniam, licet ſigna aliquem inclinent ad mortem; aliquando tamen inſpectores, propter occultas indiuiduorum proprietates a cælo cauſatas, decipi poſſunt: ſed & tempora determinantur quinquennium ſpacio huius lineæ ------- tribuendo; vel ſecundum nonnullos lineas in tres partes ad inſtar triplicis hominum ætatis ſuperius deſcriptæ diuidendo; & maiorem longitudinem relinquendo ſemper iunioribus. tempus autem intra hæc ſpacia pro ſitu ſignorum inferius vergentium, ſtatuitur. Adnotandum tamen exempli gratia, quod etſi magni Vitalis fractio vel diſcontinuitas, vt ita dicam, magnum ominetur vitæ periculum, ſi ibi adſit triangulus æquilaterus, minus eſt iudicandum: & ſi in directo fractionis reperietur altera ſoror, adhuc minus, præſertim ſi Saturnina; ſi vero vtręque appareãt, facile euitandum: conſiderandaque eſt ſemper menſalis continuatio manus, vt diximus, diſpoſitio: & vt concludamus; ex pluribus ſemper coniecturis quodlibet figurandum

gurandum eſt iudicium. vni enim ſigno credere ſtultum eſſe ſcribit Ariſtoteles in principio ſuæ Phyſiognomoniæ: addas quod ex horum multiplici conſideratione certiora & particulariora poſſunt pronunciari, præſertim cum reperiantur diuerſæ lineæ, quæ licet diuerſos oſtendant effectus, attamen ad vnum aliquid iudicandum aliquando concurrunt. Exemplum: videbis lineam ſuſpenſionem minantem, alteram carceres, tertiam homicidia vel furta, quid prohibet tunc in vnum omnia recolligendo proferre, talem hominem poſt carceres mortem iudiciariam ſubiturum? quod ſi contraria appareant, contrariaque demonſtrare videantur, fortioribus ſemper inhærendum. Hinc oculus eſt aperiendus, quod quamuis lineæ principales longam alicui polliceantur vitam natura, attamẽ poteſt euenire quod citius pereat morte violenta; adeo multum refert diſtinguere inter iudicia naturalia & accidentalia. Sed ne librum totum in regulis iſtis protrahamus: poſtremum hoc tibi relinquimus, quod prius aduerſam, poſtea bonam proferas fortunam, vt inſpectum hilariorem omittas: Quod ſi linearum ſignificata tibi mente excidant, inſpiciendi manus diligenter depictæ ad te deferri iubeantur, tunc enim libellum tuũ poteris

consulere, quod in viris illustrioribus, & principibus speculandis tutius & cautius obseruabis, sic etiam facultati dignitatem tribuendo.

Fortasse nimis in re generali, vt proposuimus, hæc ad amussim scripta videbuntur; sed hoc opus & hic labor est. tandem ad particulares veniamus prognosticationes, initium vt diximus a manu exordientes, deinde de rascetta, & cæteris terminantes.

De manu in generali, & primo de eius qnantitate. CAP. III.

Quid sit manus cum in superiorib. dixerimus; nunc de eius perfecta quantitate & qualitate scribendum. quantitas ergo ipsius perfecta, & pulchra in trib. consistit; primum quod in suo genere sit satis magna, & decenti constans proportione; secundum quod hæc eadem sit respectu corporis cuius est manus; tertium quod vnaquæque pars debitam det alteri proportionem; quicunque habebit tales manus, erit audax, bonæ naturæ, & temperamenti, & longioris vitæ. hoc idem indicant si sint carneæ cum bona soliditate, & bene articulatæ; si vero sint concauæ, vel breuiter contrario modo se habeant, contraria declarant. Sed cum de magnitudine mentio facta sit; animaduertendú; quod

quod magnitudinis ratio duplex eſſe poteſt; prima accidentalis vt a laboribus; & hæc a chiroſophis parum aut nihil reſpicitur, altera naturalis; & rurſus hæc eadem duplex; quarum vnam neruorum & oſsium, ſecundam carnis groſsities conſtituit; prima fortes & robuſtos oſtendit homines; reliqua ex mente Geberis, ebrios, venereos, & viles: rurſus groſſa manus cum digitis in cacumine acutis cupidos, & falſos, ſed largis fideles & tractabiles demonſtrat idem Geber.

Manus nimis breues reſpectu aliarum partium & corporis totius, cauillatorem, ſagacem, furemque denotant.

Manus curtæ ratione aliarum corporis partium, cum digitis breuioribus, reſpectu ipſarum manuũ, furem, inſidiatorem, & omni plenum notant nequitia.

Si tenues & curtę, loquacem, & voratorem: idẽ ſi obliquæ. ſed gibboſæ, curtę, & tenues ſignant ioculatorem. Magnæ vero reſpectu corporis virum verboſum, ſubtilem, callidumque & ſubdolum.

Debilis manus & mollis carenſque linea epatica frigidam manifeſtat complexionem, tarde loquentẽ, pigrum, ſomnolentum, ſomniculoſum, impotentiã Veneris. malamque digeſtionem.

Manuum lõgitudo & gracilitas tyrannum denunciant, Cocles. addit Geber

aptitudinem ad negocia, amoremq; mulierum; breuitas, fæmineam naturam in actionibus sed insatiabilem, odiosam, instabilem, & infidelem, idem Geber.

Manus sinistra fortiores habens lineas, præuidet hominem noctu natũ fuisse: dextra, die; Tricassus: at Cocles dixit sinistram manum fortiorem virum effæminatum detegere.

Quando manus sunt tam longæ, quod toto erecto corpore cum brachiis appropinquant genibus, fortitudinem animi & aptitudinem nunciant. Rasis addit sublimitatem, arrogantiam, & auiditatem regendi. Si autem ad fœmora infra medietatem desinant, maleuolum animũ, discordem & ignorantem significant.

Manus virilis in muliere meretricium arguit, & partus abortiuos; si vero sit grossa & pinguis, feruentem luxuriam, & consequenter iterum meretricium.

Mulieres manus lineis destituta vitam miserã, infelicem, postribulam, ferinamque probat, Cocles. Contra Geber naturam ferinam multitudinem linearum in manu fæminea prodere tradidit.

Pinguedo & grossities in manu ingeniũ hebes, sed in muliere, vt diximus, ardentẽ venerem. Almadal.

Durities præsentit vim & fortitudinem in comprehendẽdo, sed naturalem insensibilita-

ſibilitatem: contra mollities ſenſum ex-quiſitum, lenitas ingenioſum, & inſtabilem. hæc Galenus.

Manus viridis in muliere eleuatæ naturæ indicium eſt, facilitatiſque ad concipiendum. Palæmon.

Manus carnea, & rubea cynædum prodit: idem effæminata complexio, colorque candidus & perſpicuus cum venarum apparentia, ſicuti in muliere meretriciũ. Talem colorem Plutarchus, Suetonius, Petrarcha ſcribunt Cæſarem habuiſſe, refertque potiſsimum Suetonius, illũ fuiſſe virum omnium mulierum, & mulierẽ omnium virorum. fuit enim Cæſar, ſi eadẽ credimus cynædus & adulter celeberrimus. Non tamen hæc ita ſicco pede transeunda ſunt, ſiquidem obliquitatẽ, longitudinem, breuitatem, gracilitatẽ, pinguedinem, groſsitiem, lenitatem & cum cæteris carnoſitatem manus a naturali temperamento, vel vi formatrice progenerari, conſtituique pro ratione materiæ, humiditatis, ſiccitatiſue redundantis vel deficientis aliquando apud Hippocratem Galenumque legiſſe meminimus: morum vero habituumque ſpecificas differentias, notioneſque ab his accidentalibus figuris, quomodo haberi tradiue poſsint, non facile percipimus, niſi quia ita dixerunt chiroſophi, acquieſcimus; & quamuis non

ignoramus ipſum Galenum mores, habitus omnes, animamque ipſam (licet falſo) ſequi corporis temperaturam credidiſſe; qui libellum de hoc more ſolito admodum accurate conſcripſit; vnde fortaſſe ex manus quantitate, qualitate, forma, figurave iſti ſpeculatores complexionis dominiũ perſpecti, inſuper hinc furta, calliditates, adulteria, loquacitates, aſtus & ingenia hominum cognoſcere potuiſſe dixerint; adhuc tamen, eodem auctore, inſufficiens eſt debiliſque & penitus abiicienda hæc coniectura; qui non eſſe iudicandum de toto corporis temperamento ex quibuſdam particulis, ſed ſingulas corporis partes examinandas, per ſe paſsim in libris de temperamentis proteſtatur. Non enim, inquit ille, ſi cui thorax ſolus hirſutus eſt, huic totum corpus ſiccius calidiuſue ex neceſsitate putandum; ſed plurimum caloris eſſe in corde, eoque animoſum: poſſe vero aliquando etiã huius ipſius rei occaſione accidere, quo minus totum his corpus calidum ſiccumue ſit; quod ſcilicet plurimum caloris ſurſum ſpirauerit, & in ambientem abierit. & alibi; Neque enim ſi nigrior cutis apparet, totus homo calidior eſt. ſed nullibi clarius opportuniuſue ad propoſitam rationem, quam vbi hæc particularia leguntur verba; reſimos omnes humidos cenſere; aduncos

uncos ſiccos non debemus.fieri enim poteſt vt hæc fiant formatricis virtutis vi, non temperamenti ; quod ſi temperamenti eſt nota; at certe eius quod in naſo tantum habetur, non eius quod in toto corpore nota fuerit;quare fruſtra prædicunt, in ſiccis temperaturis naſum acutum, oculos cauos, collapſa tempora; videre enim licet corporis habitum mollem,pinguem,album,carnoſum, cum tamen oculi fuit parui; & naſus acutus: rurſus ſiccum,macilentum,& nigrum,& hirſutum, vbi magni ſunt oculi, & naſus reſimus: hæc Galenus. Quam ob rem apertiſsime colligitur,quod etſi mores, habituſque a temperamento corporis penderent; & ad cognitionem ipſius ipſiq; perſpicerentur,internoſcerenturque, errare tamen quicumque a breuitate, carnoſitate,longitudine, pinguedine vel colore tantum manus,& ſic vnius particulę eundem generaliter determinare confidunt; qui quidem error apud Chiroſophos augetur dilaturque . quod licet virtutes & vitia moreſq; vniuerſi aliquod ſortirentur,traherentue ab humorum connexione fomentum,ipſos tamen in totum pro voto humano a libertate arbitrii voluntatiſque animi tolli,minui, mutari, induci,cohiberique veritas eſt. Quam ob rem ſiue a longa obſeruatione; ſiue ab indiciis

corporei temperamenti consarcinentur istæ habituum, morum affectuumq; prognosticationes quantum firmitatis contineant; viderint iam nostri speculatores. Hæc omnia diligenter menti tenēda sunt, his siquidem plura istius facultatis fallacia dogmata & deliria, quæ recensere continget, & comprehendi & poterūt redargui, nec sępius repetenda sunt. Nunc ad diuerticulum reuertamur.

De neruis, venis, & pilis.

CAP. IIII.

Vidimus de quantitate manus, nunc exactius de qualitate scribendum aliqua. sed quia de eiusdem neruis venis, & pilis supra mentionē fecimus, hic paucis prius ipsa absoluamus, sic nihil intactum penitus relinquentes. Neruorum igitur ligamenta siue a corde initium sumant, vt Stoicos secutus Aristoteles, in libris de historia Animalium, Pliniusque in naturali historia credidere; siue vt passim & rectius probat contra hos Galenus in libris de morbis vulgaribus, de motu musculorum, de vsu partium, de neruorum dissectione, de semine, de decretis Hippocratis, & Platonis; a seminis substantia vel medulla ceruicis, vel a cerebro originem trahant; vtcunque sit, si optimæ appa-

appareant constitutionis & formæ, optimum vel cordis, vel seminis, vel cerebri temperamentum edocere, rationabiliter philosophantibus persuaderi potest, quoniam proportionem & qualitatem effectuum, a propriarum causarum qualitate & proportione naturaliter pendere consentaneum est. ex bonis enim arboribus boni progenerātur fructus. Hinc ergo de affectibus, habitibus, passionibus tā seminis quam cordis & cerebri, siue vitę spacia, siue fœcunditatem, siue sterilitatem, siue bonam, siue aduersam valetudinem, vel similia naturalia concernentibus, innumeræ elici poterūt prognosticationes ab illis, qui Iacob scalam excelsam, vel Homericam cathenam aureā intellexerint, nodumq; Sileni soluere didicerint, vel saltē mediocriter per gradus effectuum causarumq; physicarum aciem mentis dirigere vtiliter consueuere; non tamen vnico inhærentes signo, sed ab vno ad alterum progredientes, donec veritatis splendor affulgeat. Nam si exempli gratia, neruorum cor radix est, vt volunt Peripatetici, & causa; cum effectus, vt diximus causam referat, quis non animaduertere potest bonam neruorum figuram, bonum cordis temperamentum detegere? at ex cordis optima constitutione, & longitudinem vitæ, & fortitudinem,

& sanitatem & similia nonne probabiliter coniectare licebit? Hanc scalam ex pilorum & venarum consideratione paululũ palpebras aperiendo, tu quoque facillime fabricare poteris LOTHARI ingeniosissime, cuius exemplar in capite de Vnguibus, vbi de punctis commentabimur, tibi apertius relinquemus. nunc ad consuetas speculationes redeamus. Neruorum igitur mollities auctore Galeno in libris de decretis Hippocratis & Platonis, cum aptior sit ad sentiendum, & durities fortior ad motum; prima species homines optimæ sensationis, secunda fortes & robustos indicare poterit; idem quoq; scriptum reliquit, robur neruorum ambidexteros ostendere; exactam vero siccitatem conuulsiones & difficillimas distentiones minari; sed & grossities neruorum, iuncturarumque homines fortes: lassitudo, subtilitas, occultatio, debiles demonstrat. Hæc de neruis dicta sint.

Venæ principalissima corporis secundum Physicos instrumenta non e sanguine sed ad sanguinis vsum spirituumque a natura genitæ sunt, vt & carnium essent vincula & ipsum sanguinem ad instar riuorum per omnes feruẽtes membrorum partes totum irrigarent corpus. harum principium teste Galeno in libris de decretis Hippocratis & Platonis hepar est; sicuti

ſicuti neruorum cerebrum, & cor arteriarum, licet hunc ipſum Ariſtoteles originem crediderit. Amplitudo igitur venarum lógam promittit vitam, quoniam amplitudine copiá ſanguinis ſpirituumque, in quibus vita conſiſtit, contineri, Hippocrates & ibi Galenus in Aphoriſmis confirmat; anguſtiam ergo cõtraria ratione ſecundum eoſdem breuitatẽ vitæ decernere manifeſtum eſt.

Venarum latitudo & apparẽtia cholericam complexionem denunciant & ſuas conditiones; ſubtractio melancholicam, profunditas phlegmaticã, multum vero notabiles & in debita proportione conſpicuæ, ſanguineam.

Pili in decenti & debita quantitate ſupra dorſum manus, & præcipue circa inferiorem partem, ſeu percuſsionem, vel exterius inter primam vel ſecundam iuncturam quatuor digitorum, dummodo pauci, parui & permixti coloris, bonum temperamentum ſubtilem altumque ingenium & penetrabilem intellectum prę-uident.

Pilorum nuditas frigidam complexionem maloſq; mores, iniquum, malignum, impudentem, hominemq; effæminatum & mollẽ innuit; præſertim ſi accedat vox muliebris vel defectus barbę tempore debito, quod feruentem etiam detegit libidinem.

Pilorum nigredo fit, cum deusto vi caloris vapore in exactam mutatur fuliginem, siccumque & frigidũ temperamenmentum refert. albedo frigidum & humidum, at crispus pilus siccitatem vtplurimum manifestat. dixi vtplurimum, nam aliquando non a siccitatis vi, sed pro obliqui meatus ratione ita a natura constituitur, vt Galenus in libris de temperamentis confirmat.

Pilorum quantitas præsertim flaua siccum & calidum temperamentum præsentit, instabilitatemque dementiam, & loquacitatem, maxime si etiam circa ventrem appareat, testificare dicitur, licet aliquando felices euentus, & si sit dispersa & inordinata inordinatam animam, naturamque prodere; sed & libidinis signum est: pilositas enim excrementorum abundantiam decernit, venereos quoque hirsutos existere pilos, Plinius narrat.

Pili molles timidum, duri fortem ostẽtant. hæc autem coniectura sumpta est ex animalibus omnibus. timidissimum enim inquit Aristoteles est ceruus, lepus, ouis, & pilum habent mollissimum; fortissimus autem aper, leo, & durissimo velantur pilo; est autem in auibus hoc idem videre. vniuersaliter enim quæcunque habent duram pennam, fortes: quæcunque autem mollem, timidæ: & particulariter est hoc quidem

quidem videre in coturnicibus, & in gallis; similiter & hoc in generib. hominum accidit: quicumque enim apud ſeptentrionem habitant, fortes ſunt & durorum pilorum: qui autem apud meridiem, timidi, & mollem pilum habent. fortitudinis autem & timiditatis ratio prima eſt, quia ſub Vrſa præualente frigore corpora indurantur, ſpirituſque interius circa cor conſtipati furentius feruent; perque omnes membrorũ particulas velocius pleniuſque diffunduntur: vnde animi vigor, pertinaxq; ferocitas. at circa zonam torridam, calore corpora rarefaciente vapores reſoluuntur, ſpirituſque exhauſti debilitatique frigent circa cor. hinc timor, puſillanimiſque inconſtantia: prudentiores tamen iſti illuminante cerebrum ſiccitate, contra illi rudiores, vtpote groſsioribus vaporibus organa intellectus oppreſsi. Sed ſane proxime dicta, ſi rectius perpendantur, humanũ temperamentum ad volucrum brutorumque formales notas, affectuſque intrinſecos redigere velle, ob diſtantiam naturæ nimis arduum imo abſurdũ videtur; præter quod nec admodum conſtans ratio comperitur ſignorum quæ in auitio vel ferino genere reperta timorem vel fortitudinem indicare, ex Ariſtotelis ore retulimus; ſi tamen Ariſtotelis phyſiognomonica illa ſunt,

Pro cuius ſententiæ comprobatione iuuat hic Ioannis Franciſci Pici verba tranſcribere, poſtquam ad propoſitam rationem, nec non ad vanitatem artis detegendam, ſatis concludens nobis apparet illius argumentatio. Igitur inquit ille: Atqui ſigna huiuſcemodi ab animalibus ducta non ſatis mihi faciunt, ac vt ipſius phyſionomiæ exemplis vtamur, molles pilos timidum, duros autem fortem ſubindicare volunt; hinc ceruum, ouem, leporem timidiſsima animalia videri, leonem autem & aprum fortiſsima, piloſi ventrem loquaces denotari, ſumptum id ex auibus eſſe, ac ſi qua generis eiuſdem habentur dogmata, non placent; minora enim apparent, quam vt Ariſtotelica cenſeantur: nam ex corpore beſtiarum ad homines ſimilitudo non probe, vt arbitror, deriuatur, ſiquidem ipſæ differunt, & communes & proprias habent affectiones. quæ autem communes ſunt omni animantium generi, non magis ab hac ſpecie, quam ab illa transferri ad hominem videntur: ſed ſi vni propter excellentiam quidpiam eorum communicari dicant, indeque oportere trahi ſimilitudinem, inſtabo vtique vtramque earum ſpecierum diuerſam proprietatem ſortiri contendens: Exempli gratia, quæ vrſis fortitudo ineſt, non eadem eſt, quæ leonibus: & alia vrſinæ,

vrsinæ, alia leoninæ fortitudini peculiaria. At non ab his omnibus fortitudo hominis euariat? vt non posis ex leonis vrsique signis fortitudinem portendentibus, de ea, quæ homines decet, fortitudine satis firmiter coniectari. Vere autem proprias & peculiares affectiones cuiusq; speciei non ducimus in controuersiam, quoniam in alias demigrare nequeunt, tanto magis, quanto magis siue a quibus fluunt essentiæ, seu formæ terminos non egrediantur. Iam cur canis molles habet pilos nec tamen timidus in genere animantium, quin & fortis iudicatur? cur equus pariter forte animal vestitur pilis tanto mollioribus quanto generosior est, & fortior, quemadmodum Hispanus, Afer, Aegyptius? sed & Thrax, & Geta licet ad septentrionem genitus, molli tenuiq; pilo nuditatem operit. Porro loquacitas in homine cur ex auitio genere ducatur, cum multæ sint aues pene mutæ, quales quæ curuo rostro, & aduncis vnguibus. illis enim vox rarenter emittitur, nisi lacessitis iniuria. Canes vero pilis etiam ventrem tecti fere semper baubantur. Quare extra omnem controuersiam colligere possumus vanitatē hanc, ea etiam quæ parte exfulta naturæ columnis videtur, ruinosam esse, & nutabundam. Hæc Picus. Ad qualitatem manus transeamus.

De qualitate manus hoc est tactu & colore. CAP. V.

Qualitas manus diuiditur in tactum & colorem; tactum asperitatem & frigiditatem & similia dicimus; colorem vero rubedinem, albedinem, & cæteros. Tactus ergo temperatus proximus potius caliditati, læuitati, carnositatique, quam frigiditati, asperitati, macilentięque bonam complexionem, melius ingeniũ, & optimum indicat intellectum.

Tactus calidus læuitati admixtus sanguineum ostendit temperamentũ, asperitati cholericũ & suas cõdiciones, de quibus latius in capitulo de vnguibus dissæremus. At tactus frigidus læuitati admixtus phlegmaticum, asperitati melãcholicum denunciat. Color vero in manu duplex potest reperiri; aut enim a frigore, a labore, ab æstu, seu alia procedens causa quam naturali, & de hoc nulla est in hac facultate consideratio, aut ab humorum connexione, & a spiritibus, & huius quidem alter qualitatem temperamenti, alter vero planetam dominantem, vt narratur manifestat. Complexionem designat, quoniam color albus quasi perspicuus clarus, & rubeus, ita quod rubedo vincat, & minor claritas remaneat, sanguineum denotat & suas conditiones, si fuerit

fuerit æqualis, & ita subrubeus veluti si corpus album extensum imaginabis supra corpus sanguineum, bonitatem ingenii & optimos mores admonet, bonamq; naturã & corpus naturaliter bene dispositum; sed si satis color sit flammeus, ociosum testificat. Si autem rubedo sit fusca, signum est sanguinis grossi, & viri deceptoris. Si appropinquat viriditati vel glaucedini plusquam albedini nigram cholerам præsentit: si fuerit proxima citrinitati, flauam bilem detegit. quod si albedo superat ruborem, ita vt vix appareat, phlegmaticum demonstrat.

Color plumbeus commixtus fusco citrino & viridi, vltimum gradum malignitatis temperamenti ostendit.

Color ruffus nephandum & malignum ingenium naturaliter notat, præcipue si adsint oculi lucentes & mobiles.

Color viridis in manu vt supradiximus, facilitatem concipiendi indicat. fides sit apud auctores.

Color liuidus in digitis mortem portẽdere propinquam Hippocrates scribit; redditq; rationẽ in prognosticis Galenus, quoniam liuescere signũ est extingui calorem innatum qui de corde emanat: nigredo quoq; perniciosa, nisi materiæ decumbentiã referat, idẽ ibidẽ. Veruntamẽ

alii ſcribunt, nigredinem exactam timiditatem innuere, hoc idem albedinem palliditatemque, medium inter vtramq; fortitudinem, flauum magnanimitatem, rubeum aſtutiam, acumenque mentis, flammeum maniacos; ſed ſomnia ſunt, veluti quod dicunt colorem diuerſum in manu & lineis rubedinemque luxuriam prodere. Sed indicantes, vt volunt, planetas proſequamur.

Color candidus ex rubedine mixtus cum claritate, cui rubor dominatur ſi maxime venarum accedat apparentia, Iouis dicitur. Color candidus ex albo & rubeo mixtus cum vltima ſui perſpicuitate, accedentibus maxime venis apparentib. & ſubtilioribus dominanteque albo perſpicuo, Veneris eſt.

Color candidus ex albo puro cũ glaucedine velut grando aut aqua non valde limpida Lunæ adſcribitur.

Color candidus medius inter lucidum perſpicuum & lucidum glaucum, Mercurio attribuitur. Si plura de coloribus videre exoptas, Hieronymus Cardanus in libro ſecundo de aſtrorum iudiciis tibi ſatisfacere poterit. ibi enim hic recentiorum omnium philoſophorum facile princeps abunde hãc materiam abſoluit. Cum tamen ſimilia ſint hominum deliria pro voto confiĉta, vlterius tempus non perdere

dere tibi consulimus. Nunc ad narrãdum aliqua de rascetta digrediamur; si hoc adiecerimus, quod cutis manus maxime palmæ, si sit grossa & dura naturaliter, cũ rubore primarum linearum luxuriosum potissimum arguit, & color plumbeus, malum epatis temperamẽtum & ex consequenti ægritudines.

De rascetta & lineis ab ea venientibus.
CAP. VI.

Rascetta est pars illa manus, vt supra tetigimus, quæ est inter os brachii montemque Veneris & Lunæ: vel est illud spacium quod brachium manui connectit, quæ si pura sit bonique coloris bonum edocet temperamentum, longamque pollicetur vitam: impura vero & pallida, malam decernit complexionem, & vitæ breuitatẽ pręsagit. Vnica linea oblique ascendens a brachio ad angulum sinistrum trianguli, carceres & forsan perpetuos ominatur.

Duæ lineæ orientes in vitalis fine, & in concauum parallelæ se dirigentes cum mala extremitatum apparentia, virum vagabundum, & inopem argumentantur, vnica vero minuit effectum; idem intercisio: licet Tricassus tunc detegi hominem rudem crediderit, si supra brachii radicem in rascetta duo vel quatuor reperian-

tur lineæ brachium per obliquũ, siue per latum scindentes, & sint continuę coniunctæque hoc modo ═══ honorem spondẽt, & hereditates ex morte alterius, longitudinemque vitæ.

Si linea, inquit Cocles, progrediatur a brachii radice, & vsque ad primam medici radicem, vel medii secundum alios, se extollat a latere auricularis prosperitatem promittit, & forsan improuisam, & si non tangit digitum medici, indicium est quod vxoribus vel amantibus copulabitur.

Stellæ in brachii radice prope montem Venereum iuxta cardiacam, accusationes vel infamias a mulierib. designant, quæ contra ipsum multa machinabuntur; superabilis tamen erit ipsarum malitia: alibi Almadal stellam triangulumue in rascetta hæreditatem venturam polliceri auctor est.

Lineæ a rascetta venientes dispersæ per montem vsque ad radicem vel ad extremam pollicis iuncturam, habentem a consanguineis decipiendum deprædandumque, vel capiendum, exulemue vendendum prognosticantur, & pro ingressu digiti peiores sunt numerusq; linearum deceptionum numerũ statuere creditur.

Linea discurrens a brachio per rascettam in finem montis Venerei vel iuxta vitalem, nobilitatem animi admonet.

Lineæ

Lineæ a brachio per rascettam proficiscentes ad manum intercisæq; vel discõtinuę in medietate: at in extremitate cõiunctę, hominem senescentem & moriturum in patria & domo testificãt. si vero distent inter se pro ratione distantiæ, tanto maiori tempore apud extraneos vitam ducturum significant, & si quædam linea a medio radicis brachii per rascettam transierit, non morabitur talis in vno loco, sed viuet ad instar viatoris & serui. quod si eat per montem manus nũciat nauigationes.

Linea a brachio ad indicẽ tendens longas decernit peregrinationes: & si fuerint plures, legationes honorificas. Si vero per rascettam & pectus manus ad auricularem progrediatur, seruum fore sed fugitiuum, & si plures fuerint lineæ, pluries fugere: si profunda, lata & rubea, furibũdum, si subtilis & parua vigilem : quod si non extendatur ad auricularem sed prope, susurratorem & murmuratorem arguit.

Linea originẽ trahens in concauo manus prope cardiacam ramum radio similem habens tendentemque ad brachium, vaticinatur, quod infra sex annos infirmabitur, cuius fides apud illos remaneat qui bus orientem lineã vt necessum foret ad temporis iustam terminationem videre dabitur.

Binæ lineæ a rascetta se extollentes ob-

liquæ, & continuæ ad mediam naturalem ingenium demonſtrant perfidum, infortunatumque virum, qui ſi ſit gibboſus, aut laborans lippitudine, vel in aliquo ſuperfluus membro, ingenii malefici arguitur, malorumque morum, detractorque, & vt inquit Merlinus:

Nulla fides gobbis, nil mancum credere zoppis,
Si ſguerzus bonus eſt inter miracula ſcribe.

Oculi quoque parui & rugoſi, vel ipſorum crebra palpitatio malignitatem, acumenque ingenii produnt, referunturque ad ſimias. ſi ſint profundi malos mores, & ingenium doloſum, hoc idẽ breuitas colli cum carnoſitate, ſed hæc ad phyſiognomoniam ſpectant. Si igitur iſtæ lineæ initium ſumant in fine vitalis, & ſe ita ad naturalem recto extendant tramite, itinera & nauigationes cũ lucro prædicunt, idem ſi vergant in percuſsionem, inquit Almadal, ſed non meminit de lucro, pro earum longitudine & breuitate peregrinationes longas aut breues tantum determinans, de quibus etiam habebitur in monte Lunari.

Linea craſſa & continua egrediens a raſcetta & oblique verſus percuſsionem vergens, hominem iturum in ſeruitutem & ad remos ducendos cogendum, auſpicatur.

Duæ lineę principiũ trahẽtes a raſcetta

& con-

& continuę ad auricularem euntes, loquacitatis & impudētiæ notæ sunt: Hoc idem innuitur, si quis per cōsuetudinem rectas teneat manus, & digitos extensos in longum. Hæc de rascetta sufficiant: palmam prosequamur.

De Palma. CAP. VII.

Particularis & conueniens palmæ proportio apparet, quando exterior medii digiti longitudo eiusdem æquat longitudinem, quę diuiditur in tres partes, in Triangulum, Mensam manus, siue Quadrangulum, & somniatos montes, quorum omnium figuram & situm supra posuimus. de his igitur sit sermo sicuti polliciti sumus; & triangulum post pauca quædam, quæ ad volam generaliter pertinent, absoluamus. Palmam ergo in longitudinem curuam, paupertatem indicere fabulantur; ipsius vero longitudinem cum grossitie & breuitate digitorum, pigritiam, negligentiam, fatuitatemque notare. quod si longitudo ipsa vel breuitas admodum excedat, obtusum ingenium & hebes vaticinari, temperamentumque phlegmaticum & suas condiciones, de quibus infra dicendum, significare: at si breuitati palmæ grossities digitorum accedat, optimum scriptorem, sed apostemate moriturum Geber delirat; affirmans quoque

palmam latam cum longis digitis ſubtilitatem in operibus mechanicis & aptitudinem ad pulſandam cytharam & organa ſignificare. Curta palma in manu fęminea difficultatem parturiendi præſagit; & eſt ratio, quia palma longitudinem naturalis hiatus prodit, ſicuti duplicata menſuram pedis continet; hinc traxit originem fama, quod ad ipſius figurã naturæ ſitus animaduertitur, ſicuti in viris ad formã naſi. Quod ſi fuerit lata cũm longitudine, facilitatem pollicetur propter contrariã rationem, accedente maxime trianguli & linearum principalium trina proportione & fortitudine. & poſtquam in iſtas incidimus fabulas, notandum eſt, quod ſi in muliere adſit linea groſſa inter indicem & pollicem, vel menſalis inter indicem ingrediatur & medium, indicium erit quod vel in partu morietur, vel graui morbo laborabit, niſi a quadam exigua capillari ibi interſecetur. tunc enim impedimentum parturiendi ominaretur.

Multitudo linearum in concauitate palmæ terminantium, mortem propinquam minatur.

Mollitiem palmæ ingenii bonitatem, duritiem, ruditatem, hebetudinemq; admonere confirmat Galenus.

Armonica palmæ, & digitorũ longitudo ingeniũ in multis operib, manifeſtat.

Curua

Curua palma cum digitis aduncis luſorem, moroſum & importunum detegit; ſolent etiam habere luſores cubitum breuiorem, crucem magnam, vel duas lineas paruas inter ſupercilia, & ad ſiniſtram inclinatas, & tales iræ & blaſphemiæ propéſiſsimi, aliquando blandi verbis ſed infamibus & ſacrilegis, deque luſu, incertum eſt, an libentius loquatur, an alios obloquentes audiant: ſunt in vniuerſum ocioſi, detractores, maledici, diuorũ contemptores, cogitabundi, inconſtantes, modo veſtibus nimis ſplendidi, modo lęti, modo triſtes, vt alea ceciderint. Moroſus vero omnia a communi vſu diuerſa profitetur. nam & moribus & veſtibus & ſermonibus & ceteris actionibus ſeorſum a reliquis peculiariſsime vtitur. Salutat, non reſalutat, multiplici tædio ob etiam leuiſsima affectus, adeo vt ſaxa in quæ imprudens inciderit faſtidiat: his quoque oculi rugoſi ſunt, facies ſomnolenta, vtraq; tamen craſsiora, & firmitas linearum in ſuperiore frontis parte. Habent ſimiliter oculos rugoſos importuni, & quę circa illos ſunt, & in tota facie pinguia, & dorſi ſpinam quam lõgiſsimam crurium comparatione, natura vero petulans, maligna, & agẽs quæcunque maxime diſplicent: quoniam nolentes moratur, ieiunos retardat, infirmos ad ſeria, laſſos ad ſpaciandũ, tacitur-

nos ad loquendum, implicitos in rebus grauioribus ad nugas impellit, quæ abominaris, extollit; quæ scis vult edocere, quæ non reperiuntur ad quęrendum hortatur, luctuosos inuitat ad iocos, impeditos prouocat ad ludum, decrepitũ de luxuria, egenum de expensis ridens interrogat, verbisque detinet, & de miseriis propriis singulos vndique sciscitatur, adeo quod nil peius sit hoc hominum genere, cuius etiam fastidia satis eleganter explicat Horatianus sermo nonus, qui incipit: *Ibam forte via sacra, sicut meus est mos, &c.* quē tu pro voto alias videre poteris. Ad Triangulum accedamus.

De Triangulo. CAP. VIII.

Triangulus, qui Marti vt diximus adscribitur, perfectus & boni coloris, narrant auctores longam promittere vitam, bonã naturam, temperatumq; stomachũ, securitatem, amicitiam veram, famam illustrem, facilitatemq; partus, e contrario contraria argumentari.

Si in nulla parte fuerit coniunctus, stultitiam & luxuriam arguere.

Si ab epatica & Saturnina constituatur & naturali, nicromãticum ingenium dispositionemque ad opera dæmoniaca detegere mentiuntur. Idem talis figura D in monte anulari, at hic in triangulo podagras

gras alii, alii patricidam vel fratricidam & fortunatum teſtificare confingunt. quis non rideat harum nugarum diuerſitates, vel quis pro voto in legentium irriſionem conficta omnia non animaduertat?

Dicunt præterea quod ſi accedat proportio triangulo demonſtrare virũ ſubtilem, & antiquarum rerum indagatorem negotiorumque. ipſiuſque latitudinẽ liberalitatem, anguſtiam auaritiam deſignare. Si vero triangulus ſit æquilaterus, optimi ingenii & animoſitatis ſignũ eſſe, addit Geber, hominis fidelis, lõgæui, amabilis & famoſi. quod ſi rubedo accedat, inclinationis ad beliũ, hoc idem ſi lineis principalibus.

Si triangulus ſit paruus & proportionatus arguit ſuperbum, auarũ, iniquum, ſagacem, linguam celerem, & laborioſum in negociis cum tædio.

Si in triangulo tale ſignũ apparuerit [sign] in viris dementiam, in fœminis meretricium prodere ſomniant. Sed audi perbellum delirium.

Linea a concauo manus aſcendens inter primam iuncturam medii decernit carceres, ſi nigra in fine, tormenta. aſcendens ad ſecundam iuncturam, vitæ priuationem: finiens in monte Saturnio ibi interciſa, vulnera, & ſi lineæ intercidentes groſſæ ſint, in capite, ſubtiles in aliis par-

tibus, rubeæ in pectore, alius dixit, si intercidatur in quadrangulo, occidendum ob bona, alius, terminans in crucē, mortem violentam, & si non intercidatur & sit discontinua, vulnera tantum portendere.

Linea ab angulo supremo ad radicem medii ascendēs, ibiq; cum Saturnina coniuncta carceres prognosticatur.

Angulus superior si formatur a linea cardiaca & naturali in concauo manus ex opposito spacii inter indicem & medium, miserabilem vitam, animi captiuitatem, auaritiam, & in accumulandis pecuniis solicitudinem indicare confingunt. Si vero fiat ex opposito medietatis indicis, & acutus, ingenii subtilitatem, bonam dispositionem, felicem atque inculpabilem vitam, alibi astutum sagacemque & dantem cum ratione significare: quod si constituatur a vitali naturali & epatica, horrendum periculum præsagit, & tale quod cum morte ipsa commutaretur. quod si lineæ non coniungantur, sed distent notabiliter nudum relinquentes spacium, malum debitorem, adulatorem, fatuum, mendacem, impurum, pessime moriturū, crudelem, inuidum, vanum, morosum, sibi placentem, lusorem, detractorē (addit Geber insanum & prodigum.) arguere fabulantur, præcipue si mons pollicis sit e-

leuatus,

euatus. Si angulus fuerit infirmus, carceres prædicit, seruo perpetuas, domino vel regi cum morte miserabili, & cauendum ab his. somniat enim Cocles habentes hũc angulum separatum, accedente quolibet paruo indicio suspendẽdos fore. O admirandum iuris interpretem! quod si illud spacium sit callis obductum, commentantur prodere deceptorem, iracundum sine causa, & sine modo: si molle appareat delectari mulieribus, cautionib. ornamẽtis pulchris: quod si lineę sint propinquę, migrationem in aliquod bellum propter socios, & vulnera iacturasq; cum eisdem vel pro eisdem passurum, mortemq; cum feris periclitando minãtur. Si inter hoc spacium inueniatur linea ad inferius se extẽdens vtramq; tangendo, moriturũ veneno vel percusione auguratur. quod si angulus coniungatur per has lineas ╪ inuidiam, destructionem, oppresionemq; testificat, si ex lineis admodũ rectis malam viuentem vitam ad fœlicem tamen finem; alius inimicitias cum affinibus & exilium ob sanguinis effusionem commentus est. Postremum si in illo spacio linea semicircularis appareat & curua versus digitos vt hæc ◡ inuersa familiæ indicere turbationem, perniciemque domus suæ futuram, si cornu ad brachiũ tendat excæcari, ꝙ si crux reperiatur superius infixa,

naturali, & infra paululum per vitalem transſcendens, ebrietates frequentes, hominemque beſtialem detegit, ſi vero ſit hæc figura X vel hæc ☍ per mulierem hæreditatem venturam promittit, idem ſi talis ★ & a conſanguineis, vel in qualibet trianguli parte, & quot erunt tot hæreditates. Similiter & talis C. Vides vt e chiroſophis iam mathematici quodammodo euaſimus, ſic ad figurarũ delineationes manus admouimus. Sed iuuat inſanias chiromanticas etiam ſub oculos referre, vt facilius comprehendantur, & vt perſpicias ipſe quibus rebus imperita plebecula & gentilitas credula aliquando fidem adhibuerit. Miſeribilis certe vt plurimum humana conditio LOTHARI, cum (pręter quod maior noſtri pars brutorum potius vitam moreſque & affectus referat) tam frequens in reliquis ignorantiũ turba poſsit reperiri, quæ a ſemicirculo, vel a cruce, vel a litera C. vel a ſimilibus excogitatis, vel forte inuentis in manu figuris hereditates, inuidias, homicidia, ſtupra, ruinas, cæcitates & reliqua ad deriſionem etiam poſterius referenda pręuideri poſſe confidat; & deridentium ſcriptorum deliramentis aures tam facile accommodet, ad inſtar buffali per naſum trahi permittens. quæ enim ratio neq; etiam per riſum excogitari

excogitari poteſt, quod curua figura ſuperius deſcripta verſus digitos vniuerſa familiæ indicet turbationem, & verſus brachium inſpiciens cæcitates deſignet? an vim tam admirabilem diuerſamque habet ſemicirculus iſte, a figurare, an a ſitu, an a temperamento naturali, an a vi formatrice, an ab elementis, an ab influxu ſidereo, an ab aliqua virtute occulta ad ſimilitudinem magnetis, reubarbari, electriue? Præterea quas nugas quæſo continet iſta anguli ſuperioris diuerſa conſideratio, dũ auaritias, ingenii acumina, adulationes, fatuitates, carceres, malos debitores, bella, mortes a veneno, a feris, res vt plurimum ab animi electione habituque, vel a caſu, iuſtoque Dei vel hominum iudicio dependentes tam paruo diſcrimine prænunciat? Sed videamus an ſequẽtia ſuperioribus ſint nugaciora.

Narrant ergo quod mulier habens iſtũ angulum ſuperiorem rubeum pluſquam alibi, vel triangulum totum planum & rubeum, ſi eſt prægnans maſculum geſtat: Idem ſi hoc ſignum Y in angulo dextro niſi ſit interciſum, quia tunc impedimentum. conſpicionem quoque demonſtrare puncturas profundas & rotundas in triangulo, ſcribit Vgo. & hæc ſint quo ad angulum ſuperiorem. Si tamen adiecerimus quod ſi in muliere ſint lineæ meliores &

maiores inter medium & medicum, quam inter medicum & auricularem, indicant aptitudinem generandi, concipiendiue & gerendi masculos, sin contra, fœminas, & quod foramina cum rubore in triangulo inserta prægnantes detegant, & quod linea se a principio anguli ad indicis extendens radicem, prælaturam pollicetur.

Angulus dexter rectus & apparens, cordis optimum temperamentum naturalemque ad bonam inclinationem manifestat, acutus auaritiam & vitam longæuam, & si in longum extendatur versus rascettam submersiones, obtusus malam naturæ dispositionem rudemque hominem, quod si in manu nō reperiatur, animi varii & infidelis indicium est & stulti, si vero disiunctus sit, insanum, prodigum, mendacemque notat.

Angulus sinister rectus bonitatem intellectus & sensus acumen admonet, obtusus malitiam & inconstantiam arguit, quod si in manu non appareat, imbecillitatem stomachi & epatis innuit. Si vero in hoc angulo vel in aliqua triāguli parte hęc inspiciatur figura 6 habentem, in crucē ponendum fore impudētissime pronunciant, insuper fabulantes ꝙ seu hæc potius antiquitatis, quam nostri fuerit suppliciū seculi regionisq;, ad strangulationem capitisque amputationem, & similia talis progno-

prognosticatio transferenda erit, & quod character Saturnius seu quadrãgulus circa hunc angulum repertus idem minatur; pueriliter admodum confinxerunt etiam quod hæc figura ⁓ in latitudine trianguli inuenta mulierem virginitatẽ perpetuo seruaturam, declarat, & has in angulis vel in triangulo ⁓ suspensiones portendere, hanc vero ⁓ in muliere adulterium.

Præterea non minus ad votum alias prognosticationes ex alphabetariis characteribus, crediderim, ne quid scurrile inuentum deesset, his quoq; immiscuere. Siquidem litera A in hoc triangulo hominem crudelem & iniquum prodere somniant, B. carum principibus, C. Mathemathicarum & præcipue Geometriæ studiosum, superius hæreditates retulimus. D. præter ea quæ supra narrauimus, fortunatum, sed effusorem sanguinis consanguineorum. E. raro optata consequi, F. dementiam, feritatem, mendacem, proditoremque, & ob hoc damna passurum. G. perseuerantiam in malo fatuitatemque. piget hodiernam horam in his nugamẽtis vlterius perdere: addamus tantum quod planities bona, & colorata in triangulo longam promittit vitã, mollities rugosa, auctor est Geber, phlegmati-

cum indicat temperatum, & color liuidus deceptorem, callidum & iracundum prodit.

Postremum non apparente penitus triangulo, periculum in partu, breuitatemque vitæ ostentari opinantur, maxime si ibi adsint lineæ quædam breues fractæ & capillares. Iam de quadrãgulo aliqua scribendum est.

De quadrangulo seu mensa manus.
CAP. IX.

In quadrangulum cum supra incidissemus, illud volæ spaciũ esse diximus, quod a linea cerebri & mensalis intercluditur, ob idq; mensa manus a quibusdam etiam appellari solitus, & denique vt oculis patet, quadri similitudinem refert. iste si sit planus, latus, coloratus, audaciam, amicitiam, vitam quietam, liberalitatem fidelitatemque designat: si arctus auaritiam, iniquitatem, deceptionem, discordiam & inimicitias, & tenuitatẽ, quæ species quodammodo auaritiæ comperitur, & cuius proprietas est homines reddere blandos sermone, timidos in re pecuniaria, & in domorum ornatu, familia, vestibus, supra modum parcos. Hos enim non pudet calceos sordidos, & corruptos ferre & seruauare, omnemq; supellectilem contritam consarcinari, minima quæque diligentissime

ſime curantes, & nulli aliquid vel mutuantes, vel commodantes, iidem abiecta & vilia pauca emunt, plura tamen continuo licitantur; nemini conuiuia dant; quoniã liberalitatem in aliis prodigalitatem credunt, & vitæ ſplendorem dementiam, ſecretum licet exiguum, nec etiam forcipe ab illis extrahes. Aſpectu ſunt vt plurimũ fœdo, & membris, & vultu, & oculis paruis. colore obſcuro, vel ſubpuniceo, rugoſa facie, macilenta abraſaque, voce celeri acutaq; , capillis nigris, & rectis, pede lẽto & æquali, & in medio frontis apparere ſolent lineæ quædam breues, exileſque atq; inuicem proximiores. Præterea ſciendum quod principium triãguli, ad primam refertur ætatem, medium ad mediam, & finis ad vltimam. Sed & eiuſdem planities cum mollitie, inquit Morbeth, indicat hominem optimi ingenii & famæ. Aequalitas quadranguli vitæ longitudinem ſpondet, inæqualitas breuitatem auguratur; quod ſi addatur anguſtia, paupertatem, & iacturas: ſed & in medio ſtrictus curuuſq; naturali verſus menſalem inflexa prodigalitatem phantaſticam etiam in rebus vilioribus, delectationemque in ædificiis manifeſtat.

Crux in quadrangulo male formata, tortuoſa, inæqualis, diſiuncta, & auctore Tricaſſo, exiſtens in oppoſito auricularis,

labores, anxietates, ob adipiſcendos honores conſeruandoſque denunciat, & ſi adſit profundior vel aliæ ad inſtar crucis apud ipſam reperiantur lineę, moriturum in dignitatibus. Duplicata vero hominem iactabundum, & mira de ſe pollicentem oſtendit, quod ſi fuerit crux ex oppoſito partis quæ eſt inter medium & auricularem, peregrinationes laboreſq; præſentit. alius ſomniauit ipſam ad hęc indicanda in oppoſito anularis, addiditq; inimicitias prædicere, præcipue ſi ſupra menſalem iaceat: interciſaque cum conſanguineis. quod ſi tangat cum menſali naturalem, dixit labores & anxietates futuras ob acquirendas ſcientias, virtutes & famam.

Stella in eodem cui color inſit optimus iuſtum, fidelem, verecundum, vitæque inculpabilis, corrigibiliſque ſi peccauerit nunciat, ſed & admodum fœminas ardentem, & ab eis fortaſſe lædendum denigrandumque. quod ſi coloris rubei appareat cum quadranguli anguſtia, virum oleum & operam perdentem pro diuitiarum acquiſitione declarat, ſub auriculari vero liberalem, & e paupere in diuitem euaſurum, fortunatumque extra patriam pollicetur.

Circulus paruulus in eodem perfectionem ſcientiæ & amorum deſignat, niſi triangulus ei opponatur, quia tunc contrarium

trarium dicendum esset, & narratur quod semicirculus minorem manifestat perfectionem.

Circulorum vero pluralitas maiorem obtinet efficaciam, nisi obstet vt diximus triangulorum oppositio, & alias figuram semicircularẽ vnitam linulæ obliquæ, & intercisæ, virum bellicum, vulneratoremque describere inuenimus.

Quadrangulus in quadrangulo repertus bonũ in vno tempore & malum præsagit in alio, si duo, exuberabit bonum, si tres, malum, si quatuor rursus bonũ promittunt, & si mens paululum cohibeatur, omnia nugæ videbuntur & deliria.

Nullum trianguli, vel lineæ, vel crucis in mensa manus vestigium, optimũ spondet statum vsque ad vitæ finem cum perseuerantia & gloria in operibus, dixit Palæmon. at triangulum apud mensalem repertum, læsiones a quadrupede ostentare Tricassus asseruit, & in alio loco superandum ab inimicis confinxit.

Linea veniens a media naturali ad mensalem, & vtramque fortiter scidens vt ╪ in viro tot captiones, in muliere tot partus significat. Si quis hoc credit indiget elleboro, sed & nauigat Anticyram arbitrans tale signum ♂ in quadrangulo supra finem naturalis, vt inquiunt, ambitiosum, superbum, & iniquum denotare.

vel iſtam figuram 6 in eodem meretriciũ arguere. Fabulãtur etiã quod linea porrigens ſe ab vlteriori digito vſq; ad quartũ, magni ingenii indicium ſit, idem litera F.

Et quod linea principiãs ſupra naturalis finem; & per menſalem ad montem medii aſcendens, vaticinatur vulnera ob propria bona, & forte a latronibus in itinere, & ſi in fine intercidatur ad modũ crucis, mortem ob cauſam prædictam.

Et quod binæ lineæ ſecantes ſe vt crux in hoc quadrangulo bene conditionatæ veridicum, & promiſſorum ſeruatorem decernunt. Quid quod & litera h, conſciũ eſſe alicuius homicidii, ſecundum eoſdem teſtificat? an quia hoc nomen homicidiũ ab hoc ſigno initium ſumit? equidem neſcimus an tantã vim huic elemento ineſſe quidam concederet Ruſcellus, qui eidem characteri inimicus naturalis & acerbiſsimus, nec ipſum in numero aliarum literarum haberi voluit, vno ab alphabeto fere exulem perpetuo pronunciauit, pro qua ſententia paſsim, & vbique perperam & obſtinatiſsime digladiauit, more ſolito iactitans vt pulchra acueret ingenia, ſed re vera & oleum & operam perderet, vir alioquin vere verboſiſsimus. At nos certe hic quoque tempus terimus, veruntamen vt alteri morem geramus. Hęc itaque ſunt quæ in præſentia de quadrangulo chiroſophos

ſophos inter cætera ſomniaſſe reperimus. de montibus iam aliqua ſit confabulatio.

De montibus, ſeu de planetarum ipſis dominantium cognitione.
CAP. X.

Antequam montium conſiderationes in medium afferamus, cum eorũ cuilibet planetam vnum dominantem priores adſcripſerint, ſecundum quem prout aliis fortior fuerit, maioremque in manu obtinuerit efficaciam talis aut diuerſæ complexionis homines dicantur : vt puta ſi Mars regnet, martialis : ſi Iuppiter Iouialis; & ſic de ſingulis, recte nos facturos cenſemus, ſi qui fuerint Saturni vel Veneris, & cæterorum, prius explicauerimus, multum enim refert, vt alias meminimus, inſpectorem ante omnia cognoſcere quibus cæleſtibus aſpectib. inſpiciẽdus ſubiiciatur, præſertim cum inferiora vniuerſa a cælorum ſiderumq; ſpiritu, luce, & calore, plurimum informentur, foueanturq;, quæ impreſsiones tamquam a cauſis perfectis defluentes, licet perpetuo optimos declinent influxus, non tamen conturbet te, intelligens aliquando ex iſtorum concurſu dominioque mala prognoſticari. poſſunt etenim ex diuerſa multarumque circa nos cauſarum commixtione, materiæque defectu non parum peruerti, quod

ex qualitate ſignorum animaduertentes vt credunt ſpeculatores iſti, plerunque Mercurialem prudentiam in malitiam, Martiam magnanimitatem in ferocitatem, Veneream charitatem in libidinem tranſmigraſſe pronunciant. Qui ergo tres lineas habet euntes verſus indicem, & terminantes cum pollicis radice, Venereus ſtatuitur, & talis exiſtimari poterit felicis fortunæ, ſine bonorum tædio curiſue, viuens delicate, abſque labore, dulcis, liberalis, facilis, mulierum amans, ſeu aliquando eaſdem vel eorum hereditates a ſuis extirpans, ſagax, diligens riſum & coitum, adulteros habens filios, dilectus ab omnibus, & creditus pulchri vultus, dulcis loquellæ & omnia volens quæ videt, poeta, muſicus, & generaliter ocio, luxui, & libidini deditus. Venus enim mater dicitur ocioſorum, coquorũ, muſicorum, & poetarum.

Qui habet plures lineas in indicis radice, & præſertim ſi naturalis eat ad prædicti digiti partes, ſeu linea oriens in principio anguli ſupremi, vel in montis medio, & tuberculus (quod etiam in cæteris tibi ſeruiat) ſit clarus & nitidus, ſeque ad radicem indicis extendat, Iouialis erit, & talis iudicari poterit, grauis, mediocris, in actionibus prudens, liberalis,

diues

diues, honoratus, felix, iudex ſapiens, iuſtus, fidelis, religioſus, bene morigeratus, in periculis audax, miſericors, veridicus, gaudens riſu, & coitu, & ſi laicus fuerit (vide ludibrium inſigne) duos filios, alii, multos filios habebit, quaſi quod alio modo in laicos alio in clericos influere, numerumq; partuũ decernere Iuppiter vel didicerit, vel potuerit, vel voluerit. quod ſi lineæ ſuperius deſcriptæ, appareant pulchræ & non interciſæ, dignitatem & prælaturam ſignificare etiam alibi retulimus. Iuppiter enim dicitur pater ſacerdotum, magiſtratuum, & mercatorum. Qui habet plures lineas in digito medio plus quam alibi, præſertim ſi Saturnina aſcendat vſq; ad ipſius radicem, Saturnius creditur, & de hoc prognoſticatur, vt in ipſa Saturnina inferius dicetur, interim referendo quod vt plurimum (vt narrant) Saturnus reddit homines pauidos, taciturnos, plenos ſuſpicione, & dolis, auaros, triſtes, ſtultos, ob id etiam laborioſos, pauperes, contemptos, & infelices. Et ideo Saturnus appellatur agricolarum & méndicorum pater, ſed & ætatem frigidam, tremulam, ineptam, triſtem, morboſamque ominatur.

Solares fabulantur qui plures ſubtiles lineas in radice anularis habent, quam alibi, & iſti finguntur naturales inuentores omnium operum & artium, agentes quæ non didicerunt, nunquam pauperes, ſed ſeruitia perdentes ſpecialiter facta proximis, amicisque, honorabuntur ab extraneis, iracundi, liberæ linguæ, amabiles, a muliere vel per mulierem læſi, habentes inimicos, & præcipue ſuos, ſed non offendentur, fideles, magnanimi, & cauendum iſtis, vt omnia palam faciant, etiam quæ alii occulte facere ſolent; iſti vero quandoque ſublimant, quandoque homines deprimunt. Sed & quia Sol ſubſtantia humidiſsimus, & calidiſsimus ſecundum Aſtrologos aſſeritur, vnde ex eius aduentu & omnia vireſcere, animaliaque ad venerem turgeſcere cõſpiciuntur; ideo ſolares longæuiſsima vita prognoſticari non erit inconueniens: & quia alias omnes præcellit ſtellas, eoſdem natos exiſtere ad regna, ad aulas, ad magiſtratus, ſapientiam, magnanimitatem, nobilitatem, fortitudinem, ſplendorem & ſimilia. & quia temperatiſſimus cæterorum planetarum, bonorum morum, vitæ incolumis, rationis optimæ, ſinceræ mentis, amantes honorum, lucis, claritatis veſtium, pulchrarũ gemmarum, aureorum vaſorũ, mundiciei, & lautitiæ: ſed & verſari cum principibus diligiq; ab illis,

illis,ludere cum eiſdem, iocarique, a republica non alienos,dignitatemque cum comitate retinere, oculorum claritatem habere,quietos eſſe,magnificos,ſecretos, probos,cogitabundos aliquando, lætitiã præ ſe ferentes,& omnia optima poſſidere in vno quoque genere vt inter metalla aurum, inter gemmas carbunculum, ſeu hyacinthum, inter animalia equum, leonem,aut aquilam,inter arbores palmam, atque ita in cæteris probabiliter cenſendos referunt.

Mercuriales opinantur,quicunq; conſimiles habent lineas in auriculari non apertas, ſed obſcuras; & iſti ſolent eſſe fures,ſagaces,doloſi, auari, aliquando theſaurarii ſecundi, qui ſunt a ſecretis, aliquãdo leuis fortunę,faſtidioſi,inordinati, impuri,mẽdaces,cõcubinarii,ex poliatores,inſidiatores,iniuſti,ad maleficia parati,abſq; ratione,inſtabiles,audaces, ſtulti, quod ſi prædictæ lineæ ſint claræ, loquaces,muſici,pictores,arythmetici,geometrici, augures, & generaliter artifices omnes,ſcriptores, eruditi omnis generis, philoſophi,profeſſores, rectores optimi, ſuorum laborum glorioſi, ſpeculatores profundorum ſecretorum, & quod habent in corde nullus cognoſcere poteſt.

Lunatici erunt qui in manus quadrangulo hoc ſignum ✕ habent bene diſpoſi-

tum, iſti in prima ætate egeni, in ſecunda diuites vltra modum, cum omnium ſtupore prognoſticandi, & tales non oportet vxorem ducere, ſed alicui principi vel prælato adhærere. ſic enim ditabuntur, pacificam autem & quietam diligent vitam, exoptabuntque ſibi amicos parare, ſed & apud quoſdam inconſtantes & aliquando laborioſi, minime magnanimi, & nautæ, & nuncii reperiuntur, & curſores, & generaliter homines in continuo motu, & ratio eſt tum celeritas motus lunæ, tum quia luna ſtationes non habet, in quibus ſecundum ſenſum momento quieſcat, ideo lunaticorum inſtabilitas eſt omnibus cognita; quamobrem ſtultitia appellatur. quę quidem inſtabilitas licet eadem ratione in Mercurialibus reperiatur, attamen cum dubia vtplurimum ſit, & non adeo manifeſta, ideo calliditas nominari, & ad prudentiam referri ſolet, quamuis non ſit prudentia, ſed natura inſtabilis, & doloſa.

Martiales habentur & crudeles, qui menſalem habent craſſam, continuam & rubeam, & in fine liuidam, extendentemque ſe prope indicis montem. Hanc quoque naturam oſtendit linea epatica, ſi cauſando triangulum pedes ſui verſus pollicis montem ipſum ſubintrando cardiacam

diacam

diacam tranſcendunt. Eandem ſignificat coniunctio vitalis & naturalis cum intenſione coloris, taleſque audaces iudicantur, vtiles, abſque pinguedine, prompti ad bella: Mars enim dicitur pater militum & tribunorum: inconſtantes, feroces, præcipites, temerarii, loquaces, ſimplices, prodigi, læti, furibundi, inæquali ſtatu ſemper varii, impii, inuerecundi, & male ſociabiles, & fornicatores. His ſic breuiter declaratis ad pollicis montem accedamus, hæc tibi prius præcepta relinquentes, regulariter Venerem in pollicis monte omnem luxuriam & amatores, & matrimonia, & oſtendere ignes cuiuſcunque generis: Iouem in indice honores, dignitates, capitiſque offenſiones: Saturnum in medio felicitatem & aduerſitatem bonorum fortunæ, hinc & hominum paſsiones horum cauſa, reſque difficiles & melancholicas: Solem in anulari amicitias, inimicitiaſq; cum principibus, ingenium & ſtatum ſublimem, & mentis euagationem, ingeniique confuſionem: Mercurium in auriculari diligentiam & ſagacitatem in ſcientiis & artibus, & ſubtilitatem in malis operibus, aſtumque in rebus venereis: Lunam in monte manus peregrinationes terreſtres & maritimas, & eorum fortunas, & præcipue rerum mobilium,

& longa itinera. Denique Martem in triangulo effectus & exercitia martialia, & dispositionem & fortitudinem corporis. Non tamen te fugiat, quod etsi horum omnium effectuum signa etiã in aliis manus partibus habeantur aliquando, nam & coniuges sub auriculari, & libidines sub indice, meretricesque in monte manus non tantum in pollice, & sic alia in aliis locis, per diuersas figuras, & lineas indicari passim retulimus, verumtamen vt plurimum, quæ diximus & certius & efficacius in suis montibus apparere consueuerunt.

De monte pollicis.
CAP. XI.

Mons igitur pollicis meliori seu insaniori chirosophorum sentẽtia Veneri attributus, scribit Albertus Magnus, si decenter sit mundus, lenis & bene coloratus, bonam indicat complexionẽ, hominem diligentem mulieres & pulchra indumenta, si fuerit eminens, altus, lineisque refertus craticulatis, nunc meretricem, nunc arguit cynædum.

Lineæ a radice pollicis per montem extensæ amicorum numerum ostendunt: in manu muliebri fornicatorum seu adulterorum. narrant autem quod si pulchræ fuerint & extensæ cum ipsis habentibus

fiet

fiet copula, quod ſi paruę appareant & bifurcatæ, habentes tot pueris abuti quot ipſæ extiterint: ſi vero per longum verſus vitalem dirigantur pro numero tot indicant matrimonia niſi interciſæ ſint, quia tunc ſignant cælibatum, & religionem, ſi Tricaſsi nugis fides adhibeatur.

Lineæ groſſæ & inordinatæ in eodem monte ignotum amicum & libenter mutuantem demonſtrant, alii in amicos ingratum eliciunt. quid verius videant qui rationem intelligunt.

Si cum montis eminentia & felicitate concurrat cardiacæ & naturalis optima conſtitutio, excelſos Platonicos, admirandoſque phiſophos indicare volunt.

Lineæ ſubtiles interciſæ conglomeratęque in hoc monte, inſtabilitatem, mendacium, & omnimodam notant fornicationem.

Linea rubentior & conſpicua, quæ per pollicis montem ſe extendit fortiter digitum ſcindens, conſanguineorum concubitus atque iram deſignat feruentem.

Stella in hoc monte riſum manifeſtat & lætitiam, intentionemque concubitus, propter quem parui pendetur. at Tricaſſus, ſi verſus vitalis finem appareat, prodere ſcelus inhoneſtum cum muliere vel cum homine, & ob id infamiam, ſed tranſiturum.

Lineæ quatuor parallelæ a montis latere verſus brachium ſiue raſcettam tendentes in eminentiorem montis partem, ſpondent diuitias & dignitates, in prima ætate, ſi adſint prope pollicis iuncturam in ſecunda: ſi vero iuxta pollicis vnguem, in ſenio, & pro craſsitiei & longitudinis magnitudine opum, honorumque indici maioritatem. Omnis autem interciſio impedimentum ad hæc cõſequenda denunciat. Addit Tricaſſus diuitias futuras ob bona aliena, & ſi tres tantum appareant lineæ, effectum minui, ſi duo adhuc maius impedimentum, hæreditates quoque ab his lineis prope vitalem in radice mõtis repertis promitti, apud eundem auctorem reperimus.

Linea declinans a radice pollicis per montem ad cardiacam & mediam naturalem, plagas minatur, & læſiones: quod ſi plures videantur & prope vitalem in angulum terminatæ vel econuerſo formatæ, læſiones ſpecificat igneas Tricaſſus.

Lineæ quædam optimo perfuſæ colore progredientes quaſi a radice pollicis, vſque ad poſtremam cardiacæ partem, quæ verſus angulum iacet ſupremum cupiditatem dignitatum, laudum, gloriarumq; inanium plenitudinemque luxuriæ deſignant: ſi vero ex altera adſint mõtis parte verſus

verſus raſcettam circa pecuniarum cumulationem ſolicitudinem indicunt. Omnis autem ipſarum fractio intercisioue impedimentum.

Crux adulterum notat.

Talis figura iuxta cardiacam ægritudinem magnam portendit, in illo anno, incredibile ſane cauſam quærentibus, niſi chiroſophi iſti cometarum hiſtoriam etiam in lineas manus trãsferre voluerint. At iſta ſpondet honores dignitateſq; quæ ſic a Tricaſſo delineatur, cui omen diuitiarum ſuperaddit.

Litera A. in hoc monte indicat hominem infidelem, amantemque vilium mulierum & pauperum. B. bona propter mulieres aut perſonas eccleſiaſticas, Tricaſſus. Cocles inceſtuoſum, ſed ſe cum nobilibus commiſcentem ſcribit. C. indiciũ eſt hominis magna cum conſanguineis & affinitate coniunctis perpetrantis ſcelera, quique erit iniuriator, & cum meretrice contrahet ſponſalitia, dummodo, addit Tricaſſus, ſit circa medium montis, vitalemque reſpiciat, nam in fine repertam, vergentemque ab extra oculorum læſionem ab igne, vel ab aqua, vel ferro minari ſomniauit. non deſunt qui tale ſignum veridicum virum promiſſorumque obſeruatorem demonſtrare confinxerint; ſed

mirum tam raram virtutem cum tam nefandis vitiis concurrere potuiſſe, attamen hæc, dicent, non eſt ſub eodem genere contrarietas. Vlterius. D. turpiſsimam arguit Venerem, Cocles. ſed Tricaſſus inquit interpretem ſomniorum. E. notat opprobrium ob mulieres, ſed tandē trāſiturum, alibi exercitia feminea. F. ſcientiam acquirendam ſeu acquiſitam longis peregrinationibus laboribuſque. G. damna propter mulieres. Pauca extra ordinem inſtitutum ex multis quæ de literarum ſignificatione edita reperiuntur tibi etiam narrare voluimus, & vbi dabitur occaſio perſtringemus, non quod aliquid veritatis habere arbitraremur, quæ enim ratio cur naturæ effectus literis adſcribantur? Sed vt nihil fabularum intactum relinqueremus, quamuis characteres planetis attributos omittere placuerit vtpote delirium omnium inſaniſsimum. Nunc de monte indicis ſermo ſit.

De monte indicis. CAP. XII.

Mons indicis in quo regnum tenet Iupiter, ſi ſit bene mundus bonique coloris, honeſtatem vitæ & conuerſationem laudabilem, legalitatemque & iuſtitiam manifeſtat.

Lineæ æquidiſtantes venientes a capite naturalis tendenteſq; verſus radicem indicis,

dicis, verecundum, & promiſſa ſeruantem declarant.

Linea oriens inter indicem & medium menſalemque contingens, ſi groſſa ſit & rubea mortem per fluxum ventris minatur: in manu mulieris, mortem in partu: Tricaſſus vero vulnera letifera prædici ab eadem, & ſi adſit groſsities in capite demonſtrari credidit.

Linea exiens a ſuperiori trianguli angulo, & per montem fere ad radicem exteriorem progrediens obliqua, hominem detegit bellicum, in actioneſque præcipitem, ſed ob linguam mala paſſurum.

Lineæ a radice paululum perpendiculariter in montem deſcendentes hominem fortunatum apud principes denunciant.

Linea ortum habens ſupra vitalis principium, & per montem verſus indicis radicem ſe extollens, alienarum coniugum amantem detegit, præſertim ſi tuberculus Venereus ſit eleuatus.

Linea incipiens a radice indicis verſus medium, & in montem ad inſtar ſemicirculi ſe extendens, dominium & eccleſiaſticas dignitates cum violentia prædicit.

Linea parua veniens a fine menſalis ad radicem indicis mortem ſubitam portendit, & præcipue quando quædam linea initium ſumens in angulo ſupremo iun-

gitur cum eadem iuxta radicem prædi-ctam.

Linea a menſali diſcedens & recte indicem ſcindens audaciam rectam ſignificat, & prope indicis radicem ſecata ab vna linea vel pluribus, plagam vel plagas circa caput vel frontem præſagit: & deletio & palliditas præteritum nunciat tempus, rubedo vero prope iuncturas futurum edocet.

Stellæ & radii in hoc monte, eccleſiaſticas promittunt dignitates, vtputa protonotariatum, vel epiſcopatum, cardinalatum, abbatias & papatum. Vtrum vero ſit vna vel alia dignitas diſtinguere non audent chiroſophi per ea quæ narrauimus in capitulo de modo iudicãdi, niſi aliquis eſſet cardinalis, quia tunc forte de papatu determinare liceret, licet in hiſtoriis legamus Cæſarem illum Borgiam Alexandri VI Pontificis filiũ de Cardinalatu ad Ducatum tranſcendiſſe. Animaduertunt inſuper, quod tales dignitates eccleſiaſticæ non poſſunt Hebręis vel aliis quam noſtris prognoſticari, vnde ad ſimile iudicia trãſferri fabuloſe decernunt, licet Hebræum vel Turcam aliquando ad Chriſti fidem reduci conſpiciant. Veruntamen redeamus vnde ſermo fluxerat.

Crux formata & boni coloris in hoc monte nitido & eminenti ſimiliter deſpon-

deſpondet eccleſiaſticas dignitates,& honores,augetque rubedo efficaciam: hoc idem pollicetur linea a pollice verſus indicem veniens & in fine crucem faciens, vt infra in pollicis digito etiã referemus. At ſi ſtella vel crux ſit male formata, infelicitatem animi, debilitatem cerebri, & infortunium auguratur, ſecundum Tricaſsi nugas.

Craticula damna propter mulierem affert.

Scala infirmitates graues, alibi perſecutiones a nobilioribus vaticinatur. Mirum cur potius ſuſpenſionum, decapitationum & tormentorũ ſcalas iſtas, cruces craticulaſque in ſigna non ſomniauerint, cum crucibus plerique affixi, craticuliſq; reperiantur, & de more furcarum ſcala ſit inſtrumentum. Quinimo & aſcenſionis ad dignitates potentiamque chiroſophicũ dogma ſcalæ ſenſus metaphoricus præbere poterat, crucis vero, cruciatus anguſtiarumq; indiciũ conſtruere, ſed & religionum benedictionumque, quę ſicuti pugnantia ſunt, & viciſsim contrariantia, ſic huius artis figmenta & vanitatem manifeſtiſsime detegunt, vtpote omnia pro voto etiam conficta ſub oculos reuocantia. at non minus ridicula ſunt deliramenta, dum ſcribunt quod triangulus æquilaterus diuitias præcipue clericis pol-

licetur, ſomniãt alii dignitatem ſacerdotalem, alii indicium eſſe ſublimitatis, intellectus, altitudinis animi, & penetrabilis ad ſcientias profundas, & occultas. Hęc eadem nonnulli circulum hic inuentum ſtatuere commentantur, quidam demētius diſtinguunt, videlicet ſi circulus ſit perfectus, dignitatem cum baculo, ſi incompletus, ſine baculo, quod ſi inferius appareat cum difficultate, non deſunt qui triangulum circulumque licet aliquando oblongum, odium affinium prodere narrent. Hanc inſuper figuram ✕ ſacerdotalem dignitatem ſignificare apud Aegyptios legimus, ſed & lineas à radice indicis progredientes prælaturas innuere. Talis figura ✳ quam neminem vnquam vidiſſe veriſimilius eſt, ſiue hæc ✕ quam ſic ✕ Tricaſſus delineat, vt diuerſitas fabularum commenta proderet, vitam miſeram, ambulationem, cerebrique debilitatem indicat.

Hæc autem ⊔ ♁ ſacerdotum perſecutiones, fugas, iacturaſq; paſſurum portendunt. Hoc idem ſcalam valde implicatam, & lineas in ſpeciem acuti anguli extantes inter indicem & pollicem ſeque inuicem ſecantes denunciare Aegyptii tradiderunt. Alphabeti nugas recenſeamus.

Litera A in hoc monte ſpondet diuitias,& oſtendit hominem veridicum & amicum principibus, hoc idem B. & C. videlicet opes & principum gratiam. ſed & C.militiam proſperam, concubituſq; arguere cum nobilioribus & cum affinium vxoribus inceſtum, odiumque cum conſanguineis comperimus.Equidem hæc literarum ſignificata multiplicem verborum Hebraicorum vim referre videntur, tam diuerſas innuunt illationes. ſed quæſo ſi naturæ vi influxuue cælorum talia continent literæ præſagia,quomodo plurium & diuerſarum rerū indicia eſſe poſſunt,cum natura cælumque ad vnum aliquid vniformiter dirigatur?ſi enim exempli gratia in litera C. refulget indiciū fortunatæ militiæ, quinam alii radii concubitus ſigna chiroſophis dare poſſunt? Sed quanam oculorum acie ex litera C. concubitus potius quam proſperam militiam proſpicient?Dices forſitan, LOTHARI,vtraque ſcilicet & militiam fortunatam & concubitus habentibus hanc literam C. in hoc monte prognoſticari poſſe: quod ſi verum eſſet,idem ſignum ſæpius pugnātia prædicere obſeruantibus manifeſtiſsime patebit. ecce enim literam D. & inceſtuoſum & infidelem & veridicum argumentari imaginantur. an vero infidelis & veridicus cōtrarient ipſe videas.ſomniant

insuper E. bona propter mulieres sponde-re, sed non sine odio affinium, quod de more semper accidit. F. fortunam apud principes, G. hominem venereum significare, sed & virum bonæ existimationis, & famæ, & hoc, quia sciet mirũ in modum vitia celare.

Linea per transuersum scindens montem, & versus montem medii terminans in capillos, apoplexiam ominatur: at linea oriens in centro montis & ad radicẽ medii se extendens, mortem ostentat ob febrem acutam, & forte repentinam. Hæc cum Hippocrate Galenum non vidisse in Prognosticis suis certe Tricassus gloriari potest.

Lineæ a radice indicis versus montem medii paulum oblique descendentes, capitis percusiones minantur, intercisæ ecclesiastica promittunt bona, quo vadis, cum fratribus sto: at sane admirandum, quod hic obliti fuerint intercisionem istam impedimentum, vel euitationem vulnerum confingere.

Postremum linea sola & profunda inter indicem & pollicem, veridicum demonstrat, fideique seruatorem: Reliqua magis risibilia prætereuntes ad Saturni montem transeamus.

De

De monte medii. CAP. XIII.

Sub medii digiti radice mons iacet, cui Saturnum dominari confabulantur, & de hoc cum pauca ab auctoribus somniata reperiamus, non longior erit sermo noster. Si ergo sine lineis appareat bene coloratus & fortunatus, simplicis & pacificæ vitæ sine calumnia coniecturam facit. Contrariæ qualitates hominem adulatorem, dissimulatorem, & irrisorem designant: quorum naturas in aulis præsertim Cardinalium perpetuo, degentes apertius prodere, deque eisdem nonnulla superscribere indicia ad tui, LOTHARI, doctrinam, vtpote apud purpuratorum principem commorantis, non erit inconueniens. Igitur adulatorem mirifice inter cæteros Plutarchus delineauit, & notum omnibus exposuit: tu vero interim obseruabis, quod hic amico perquam similis est, nisi in seriis. pollicetur enim pecunias vbi te non egere intelligit, quia non accepturum pro certo habet, donat autem quam recepturum desperat, blandior est in sermone, loquacior, rerumque tuarum diligens inquisitor, nullum graue munus pro te suscipit, inuidus est, & peculiare habet placere amando, venerandoque, ideo ob hoc iucundus, sed ob propriam vtilitatem

omnibus addictus, laudat vituperanda, vt tibi morem gerat, & quæ etiam digna ſunt laude vltra terminos extollit, & ſi fueris abſens, non ſatis fidit audientium relationibus, niſi & ipſemet tandem tibi omnia referat: fortunã bonam ſequitur, aduerſam fugit, non inuenimus melius hunc quam vmbræ aſsimilare, ob cuius euidentiam Ouidiana carmina referre libet:

Donec eris felix multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.
Aſpicis vt veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas ſordida turris aues.
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam,
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.
Vtque comes radiis per ſolis euntibus vmbra eſt,
Cum latet hic preſſus nubibus, illa fugit:
Mobile ſic ſequitur fortunæ lumina vulgus,
Quæ ſimul inducta nube teguntur, abit.

Cum autẽ duplex ſit genus adulatorũ, alterũ ſcilicet vulgi, alterũ tyranni, vbi adulationem vigere animaduertis, ibi nõ regnum ſed tyrannidem eſſe intellige: hinc malorum omnium ſeges, & præcipue perſonarum exceptio: & hic qui habet aures audiendi audiat, dum tamẽ interim ſciat, quod qui gaudet falſa laude, indignus vera eſſe deprehenditur. Sed adulatores in morẽ habẽt ſe circumtorquere corpore, quaſi geſticulationis initium facturi; eiſ-

dem aſpectus oculorum hilaris apparet, profundæque lineę inter cilia,& prȩcipue tranſuerſa,nitida,humiliſque. Græcorum olim, hodie Siculorũ, Neapolitanorum, Hiſpanorumque particulare creditur vitium. Vlterius diſsimulationis genus dupliciter quoque comperitur. quoddam enim circa æmulos,inuidoſq; tantum verſatur, & hoc prudens, cautum, probumque appellare non veremur. Diſsimulare enim loco & tempore maxima aſſeueratur prudentia. Hinc ciuitates aliquando nunc captæ,nunc cuſtoditæ, hinc exercitus modo cæſi,modo ſeruati,ſed & tyrannides interemptæ, & adepti honores,& ſublata inimicitiarum occaſio, & innumera alia ad exitum perducta conſilia. Epaminundas in Arcadia die feſto effuſe vagantibus hoſtium fœminis extra mœnia,pleroſque ex militibus ſuis muliebri veſte ornatos immiſcuit, quib. intra portas inimicorum vnitim receptis, oppidũ cepit. Annibal in Italia multas vrbes præmiſsis quibuſdam ex ſuis cum Romano habitu Latine loquentibus occupauit. Sic Andreas Griti noſtris temporibus Patauii porta, plauſtris, quæ dedita opera præmiſerat impedita, vrbẽ Veneto imperio recuperauit. Sic Sinon lignei equi vterum armato milite complet, Troiamque tandem funditus diſsipat. Sic Roma a Gallis

in Capitolio obſeſſa, extrema iam fame panem in hoſtem iactando ſubſidium Camilli morata eſt. Sic Caſilini ſeminando extra mœnia Annibali obſidenti inopiam ſuam occultantes ſeruati, & ſicuti Tomiris diſsimulata fuga Cyrum occiſione occidit. ſic Tryphon Syriæ rex victus per totum iter fugiens pecuniam ſparſit, atque ea equites Antiochi morantes euaſit. Cæſar quoque ab Attilio Cimbro cauſam pro fratre agere ſimulante percutitur, a ſociiſque interimitur. Reliquorum exempla infinita partim in curia Romana quotidie inſpiciuntur, partim referendo longior egrederetur oratio. Quamobrem altera diſsimulationis ſpecies de qua hic agitur, eſt, quæ cum omnibus indiſtincte intermiſcetur: hæc igitur amicum ab inimico non diſcernit, ad vtrunque ęqualiter ſe referens, minima extollit, in quibus beneficum ſe exhibet, & cum beneficiis quantumuis magnis non moueatur, pro minimis tamẽ ingẽtes refert gratias, pro debili iniuria machinans vltionem grauiſsimam, verba ſemper vel dubia vel admiratiua in ore habet, & generaliter de ambiguis ignorantiam, de certis dubitationem perpetuo profitetur. Huic oculi ſunt rugoſi, & quæ circa oculum pinguia, tota facies quaſi ſomnolenta, tarde loquitur, & leuiſsime ſubridet, profunda linea

da linea inter cilia, aliaque in ſuprema fronte nitida, elegansque. Horum principem, vt & reliqua, Socratem fuiſſe Cardanus ſcriptum reliquit. Irriſores æqualibus ſed turpibus inter cilia inſigniuntur lineis, parua fronte, & façie parum decenti conſpicui, natura tales, quod ſibiipſis incredibile eſt quantum aures prębeant, rara eorum in deambulatione ſed delecta ſocietas, amicos e cœtibus abeuntes latenter mordent, prudens illis & in apparentia moderatus aſpectus, ornamentum comptum, extrema mirum in modum deuitant, timentes ne quod in reliquis notant, ſibiipſis obiiciatur, & in vniuerſum maledici ſunt. Sed redeamus in Saturnium montem in quo lineæ plures venientes a menſali, & extendentes ſe ad radices digiti labores, anguſtias, hoc idem teſtificant ſex lineolæ ſub radice in montem progredientes ſubtiles & inordinatæ, quæ & aliquando vulnenera in pectore; vt primæ tentationes oſtenduntque vincula, & captiones, & ſi ſint quaſi nigræ tormenta. an quia liuor carnis tormentum de more ſubſequitur? & ſi veniant a concauo manus, & finiant vltra iuncturam digiti, ſi rex ſit, vel dux in vinculis morietur, quo quid dementius?

Lineæ extensæ in hoc tuberculo vel cõglomeratæ infortunatæq; carcerem prognosticantur; maxime si infelix sit mons: nos autem a malis operibus carceres prædici sæpius vidimus.

Lineę venientes a radice digiti per mõtem prædicunt plagas in ventre, si sint rubeæ, futuras, si pallidæ, præteritas.

Linea dispersa & tortuosa descendens inter medium, & medicum ab eorum radicibus, stultitiam & temeritatem admonet.

Linea a mensali se ad radicem medii eleuans sine impedimento maximo vaticinatur post cursum Saturni augmentum in rebus ad Saturni spectantib. naturam, & præcipue in agricultura & domorum ornatu: addunt quidam bonũ ingenium in agris colendis & reb. antiquis. quæ tamen sit causa cur vnica linea hæc indicet, plures vero infortunia quæ supra retulimus, videant ipsi somniatores; nisi auctoritate & supercilio se fulcientes Pythagoreo, satis ipsis sit, quod ipsi dixerint.

Circulus oblongus, triangulusue diuitias promittit, vitamque pacificam, sed si figura hoc facit indicium, cum trianguli forma sit circulo opposita, cur si altera opes, altera paupertatem non influit? vel saltem quomodo diuersa idem vnum naturaliter potest arguere?

Scala & craticula in hoc monte longos carceres portendit & aliquando perire. Tricaſſus iterum vt ſupra medicos æmulatus, febres longas, & forte quartanas addidit, renumque dolores, colicoſque. Rectius autem priores videntur irridere, ſiquidem & ſcalæ & craticulæ ad vnguem cum carceribus conuenire manifeſtũ eſt. Nos autẽ ſine hac ſcala ad anularis montem appropinquemus.

De monte anulari.
CAP. XIIII.

Commentatur fabuloſa chiroſophorum ſchola, ſolem omnium ſatorem, & patrem, in hunc tuberculum potiſsimum virium ſuarum robur, efficaciamque influere, vnde dominium ipſius rationabiliter tenere concludit, in hoc monte linea ſolaris frequenter ſolet reperiri, de qua inferius narrabimus. Nunc de aliis riſus ſit.

Circulus vel triangulus, in hoc tuberculo fortunatam præ ſe fert prognoſticationem, quoniam hominem honeſtæ vitæ, diuitem ſemper, dilectum a mulieribus, & propter eas damna paſſurum, ſubtilem artium inuentorem & earum principibus demonſtrat. Vtinam non tantum hoc ſignum ſed eius deſignationes LOTHARI, poſsideremus, licet a mulieribus

iacturam aliquam experiremur, dummodo & corporis dotibus ornatæ ſint, animique ſplendeſcant virtutibus, cæteræ turba ſunt, & teſte Ariſtotele natæ occaſione, & in ignem denique proiiciendæ

Litera A. in hoc monte pronunciat hominem fortunatum. B. dignitatem apud principes. C. percuſſurũ patrem, fratrem, & conſanguineos cum ſanguinis effuſione, maxime ſi reſpiciat radicem cum extremitatibus; ſed & hominem malignum, & ob aſtutiam ſuam grãdia euaſurum pericula; nec non malum debitorem, ſi ſit groſſa, faſtidioſum, & immogeratum arguit; addit Cocles, ingratam prodere aſininamque naturam; Tricaſſus ſubdit aſſaſsinium detegere. D. ſignificat alienas poſſeſſurum diuitias, & cõſanguineorum dementiam, auctore eodem Coclite, cui de more Tricaſſus contradicit. E maſculam notat venerem in vtrunque ſexum, ſed & hominem fortunatum: proſperitas enim huius ſeculi vtplurimum ſtat cum impietate. F. exercitium in diuerſis ſcientiis. G. principum gratiam oſtendit.

Stella apparens augmentũ in bonum ob amicos edocet, quod ſi tres adſint conſpicuæ & abſolutæ in monte eminenti, nitido, claro, lineam ſolarem rectam, & proportionatam fere circumuergentes, eximiæ potentiæ & gloriæ ingentiſque & inſperatæ

ſperatæ felicitatis præſagium afferunt: ſed & in corpore veſtigia quædam quaſi ordine ſtellarum cæleſtes referentium imagines conficta, vel cruces, vel haſtas, vel anchoras, vel aliud quid ſingulare exactius delineantia, regna, principatus, dominia mirificaſque exaltationes oſtentare traditum eſt, & euidentiores ſortiri effectus pro ſitu partium corporis in quo exiſtũt, quarum dignior creditur pectus & venter, deinde dorſum, poſtea humerus, poſt quem brachia, quinto femora, vltimum pedes. Sic Auguſti corpori maculas quaſdam in ſimilitudinem Vrſæ cæleſtis natura indidit: Seleucumque filiosque Seleucique nepotes anchora in fœmore veluti generis nota inſigniuit: ſic Scanderbergũ naturali cruce, & Pyrrhum vnico eſſe loco dentiũ ſuperiorum a reliquis diſtinxit, de cuius magno pedis digito miraculoſa vis etiã circumfertur, dum ſplene laborãtib. pede dextro preſsis mederetur, vnde cũ corpus eiuſdẽ crematũ eſſet, ſolus ab igne illæſus & integer permãſiſſe dicitur. oſtẽta inſup in ortu infantis, vel paulo poſt, vel dũ geritur in vtero in eadẽ domo, vel vico pulchre apparẽtia exiſtimãtur talia prędicere, Platoni apes mel in os deportarunt, gallorũ cantus naſcente Geleacio primo Vicecomite alacrior exauditus, in ortu Auguſti colũbę in palma præter cõſuetu-

dinem nidificatæ: ſic & aquilæ in culmine Alexandri ſederunt, & Seruio Tullo emicuit circa caput ignis, Cyrus a cane; Romulus Remuſque a lupa enutriti: idem quoque ſi puer reti coronato naſcatur, licet naſci capite craſſa longitudine firmorum capillorum obſito vitam laborioſam & calamitoſam referat. Præterea aurium ſed capiti hærentium, labrorumque magnitudo & inuerſio vt Auſtriacis, collum teres, naſus a ſummo eleuatus, & in imum more roſtri rapacium cum quadam venuſtate reflexus, viua quædã mentis ſagacitas, oculorum magnitudo, ſplẽdorque quadam veneratione micans, & vt vix illorum aſpectus poſsit ſuſtineri, quales in Auguſto & Tiberio & Mario circumferuntur, mirabilia pollicentur: qui ſi humidi ſint, philoſophum, aut regem futurum, ſi terribiles ac ſicci tyrannum, aut ſeductorem declarant, idem quoque ſtellarum pulchritudo exacte in frõte delineata & ibi linearum naturalium firmitas, montibus interim in manu omnibus bene formatis, duplicatiſque lineis principalibus, & tuberculis ſimiliter ciceris more in dextra parte iuxta naſum, aut in tempore apparentibus. Vlterius eximiæ potentiæ gloriæque ſigna ſunt animalia, aut lapides admirandæ naturæ fortuna quadam in manus noſtras delati, veluti Alexan-

AlexandroBucophalus equus taurino capite, & qui illum ornatus tantummodo inſcenſorem patiebatur, & Cæſari equus pedes in morem digitorum humanorum diſtinctus, Elephantus infinitæ magnitudinis vltro Sandrocoto pro vſu equi oblatus. Poſtremum ratio quoq; ipſa morum conſtans infatigabilis, nullius repulſæ tædens, prudens, liberalis, comis, fortis, ac prorſus inuicta, cometeſque & ſomnia vel infantis ortum præcedentia, aut concomitantia ſtupendos rerum effectus prognoſticata comperimus. Vnde & Accia priuſquam Auguſtum pareret, inteſtina ſua ferri ad ſidera explicariq; per omnem cæli terræque ambitum ſomniauit. Octauius ex Acciæ vtero iubar ſolis exortum, Aſtyages e naturalibus filiæ, ex qua poſtea Cyrus, vitem enaſci, cuius palmite Aſia tota obumbraretur: Hecuba Paridem geſtãs vtero, flammam quæ totã arderet Troiam peperiſſe, Laodice ex concubitu Apollinis concepiſſe, & ſexcenta extant alia: quibus omiſsis, proſequamur ſcribere quod linea a radice medii in hunc montem deſcendens tortuoſa dementem virum, impudentemq; notat, apparens vero ſub radice per montem protenſa ſubmerſionem in aquis præuidet.

Duæ lineæ breues in hoc monte ſuperius angulum conſtituentes acutum mi-

nantur præcipitium ab alto.

Linea per montem a radice ad mensalem descendens cum capillis ab vtraque parte descendentibus, damna apud nobiles & principes cum discrimine vitæ portendit.

Tale signum ⏀ oculorum infortunium præsagit.

Linea quædam descendens a radicibus inter medicũ & auricularem versus mensalem, excellentem statum & largitatem manifestat.

Linula ad instar porri in hoc mõte, submersionem in aquis decernit.

Lineæ pulchræ descendentes a radice medici, referunt sapientem, hilarem & libenter mutuantem.

Duæ lineæ paruulæ orientes a mensali & eleuantes se ad radicem medici argumentãtur subtilitatem ingenii, inuestigationem diuersarum artium, eloquentiam, arrogantiam, & inanem gloriam, & dignitates, & diuitias ab vxoribus. Hoc idem ostendunt duæ lineæ in hoc mõte æquidistantes: ipsarum vero intercisio de more admonet impedimentum, si tamen intercidens linea sit rubea, & grossa. Quod si istæ duæ lineæ proficiscentes a mensali nõ procedant æqualiter, neque æqualiter appropinquent ipsi digito, mutationem status ostentãt, & vitæ. & si aliæ lineæ scindant

dant vnam illarum, si melior scissa sit, mutabitur in peius, si peior in melius, quod si tres descendant lineæ vt supra, intercidãturque ab alia veniente ab auriculari, ingratitudinem pro beneficiis collatis, & mortem magnam somniauit Ioannes ab Indagine. Hæc de anulari confinguntur, proximum auricularem prosequamur.

De monte auriculari.
CAP. XV.

Mons Mercurii siue auricularis si purum & bene coloratum habeat spacium castitatem & continententiam demonstrat.

Quædam signa male apparentia in hoc monte veluti ⁄⁄⁄ proditorem, latronem, & falsarium arguũt, & profundiora peiora sunt.

Quædam parua linea oriens inter anularem & auricularem in confinio vtriusq; montis descendens flexa supra montem auricularis, infamiæ & adulterii initium est, sed & dolorum quibus rumpentur naturalia, vel mortis in partu, sic delirat Iohannes Indago.

Idem somniat quod quatuor lineę paruæ gracilesq; vt | | | | versus radicem per montem extensæ feminam multos appetentem viros detegunt.

Merctricium quoque arguere montem

craticulatum fabulantur, damnaque pasſurum ob venerem maſculam.

At litera A, ſcientiarum omnium curioſitatem & ſtudium & ob hoc damna paſſurum ſignificare volunt. B. mercaturam felicem. C. librorum compoſitorem, & chimicę artis delectationem. Cocles, Doctores, ſcriptores, linguarum incognitarum, librorumq; expoſitores, alchimiſtas, faſcinatores, & ſpiritus conſtringentes, barroſque & luſores prodere commentatur, ſed ſi fuerit paruus iſte character profundusque, mortem ſubitam præſagire, Tricaſſus confinxit. Ignoramus equidē nunquid hæc magis pudor ſit referre quam indignitas refellere. quid quod & D. & G. aſtrologum, nicromantem, ad curioſas inclinatum ſcientias, amatoremque mulierum, breuis ſtaturæ, indicare, impudētiſsime affirmant? At E felicitatem ob res libidinoſas, veneremque multiplicem innuere. F. deniq; hominem prudentem, verſatum, ſagacem, pollentemque experientia manifeſtare nugantur.

Lineæ groſſæ & rubore perfuſæ impellentes ſe per mōtem a digiti radice, mendaces, fures, inſidiatores notant. Quid autem commune habeat mendaciū, furtum, & dolus cum eiſdem lineis tu ipſe quæſo conſidera, LOTHARI. ſed audi aliud perbellum me hercule delirium.

Lineæ

Lineæ venientes a dorſo manus per hunc montem ſed ſupra menſalem, vt dicemus, in linea menſali deſignant tot nuptias, & aduertas quod ipſarum rectitudo vxores vaticinantur malas, obliquitas viduas, aut non virgines. quod ſi altera flexa ſit & tortuoſa, altera recta, indicant quandam malam & quandam non virginem: ſi vero differāt magnitudine, maior vxorem ditiorem & nobiliorem admonet: intercisionem denique ipſarum alii impedimentum ad coniugia, alii coniugum corruptionem oſtendere credunt. Tricaſſus equidem ſic de intercisione delirat, ſcribit enim, Quod ſi intercisio ſit per obliquum, præſagit virum cum vxore non moraturum, ſed extra domū diutius viuere, aut aliam mulierem deperire: ſi vero per obliquum appareat, non ducturum vxorem, aut ductam relinquere, ſeu religioſum fore. Non deſunt qui fatuitates fatuitatibus connectentes, linearum pallorem præteritas nuptias teſtificare velint, ruborem futuras, cuius indicium eſſe in menſali obliquitatem & rectitudinem recitabimus.

Tres lineæ rectæ in hoc monte per longū deſcendentes vt | | | vulnera eminus illata Tricaſſus in vno loco, in alio ſomniat, quod prophetantur virum virtutis amatorem, & perſonarum nobilium, vir-

tuoſarumque, contra obliquæ viles & infimas amicitias. At lineæ quædam groſſæ a menſali ad radicem per montem ſe extollentes vulnera in brachiis ominantur. Si reperiantur quædam lineæ in hoc monte, quarum alia ſit magna, alia parua, alia mediocris, luxuriæ, amoris & auaritiæ indicia faciunt, rectitudo vero & decens color amorem in nobiles, contrariũ erga viles, inſuperq; vulgatiſsimũ denunciãt meretricium, at interciſio interdicit ſignificationem.

Linea notabilis, pura, recta, & colorata veniens a menſali vel prope ad radicem digiti, in viris auaritiam ſcelusque ſeu ſceleris conſcium: in feminis virginitatem ſeu caſtitatem prædicit. eius autem obliquitas & groſsities in illis largitatem famoſam, in his corruptionem & luxuriam.

Crux vel ſtella denunciat itinera cum honore velut legationes, ſi in latere anularis appareat, alibi ſi inter menſalem & tuberculum interiaceat. Hæc ſatis ſint de auriculari, reliquum eſt, vt de monte manus nonnulla curſim noſtro more narremus, ſermonem ſeu deliramentum cum eo de montibus ſigillantes.

De

De monte manus.

CAP. XVI.

Quicquid hic in medium proferemus, quantum veritatis contineat ipse videas. quis enim in lunæ montem ascensus (hic lunæ attribuitur) non omnia lunatice scripserit? quam fama est sursum & deorsum mortalium cerebra circumuoluere, nec vllam penitus cellulam quietam relinquere? quid quod te ipsum huc duximus absque alio Hippogrypho? sed ad seria veniamus, si serio dicitur quod ioci & risus causa confabulatur.

Montem manus lunaticis viribus subiectum numerosior & antiquior confirmat chirosophorum sententia. Hic si sit purus & decentis coloris & lenis, legalis hominis & pacifici coniecturam facit: aduertendum autem quod ad instar linearum, quemadmodum somniauimus in capite de modo iudicandi, præsens mons in tres diuiditur partes, & quod in superiori signa euentuum primæ ætatis, in media, mediæ, in postrema rascettam tangente senectutis solent obseruari.

Lineæ igitur multiplicatæ in hoc monte, vt stella radiis plena, indicia sunt submersionis in aquis, veluti etiam tales figuræ. ▦ .M. 〰 .#. ⋇.

Lineæ venientes a percuſsione manus, & in hoc monte angulum facientes acutum vt Λ mortales indicant inimicos, vel homines caſu ſeu præcipitio ruituros aut morte ſubita. Idem portendunt duæ lineolæ in parte montis ſuperiori acutum angulum conſtituentes. Inimicos quoq; prodere quaſdam alias lineas notabiliter rubeas progredientes a mõte manus verſus menſalem imaginati ſunt, quarum numerus & groſsities inimicorum numerum decernit.

Lineæ ſe extollentes a manus radice decenter coloratæ rectæ, & per montem extenſę ærumnarum malorumque finem ſignificant.

Concurſus linearum ad inuicem obliquarum & quaſi ſe expugnantium mortem ſubitam ominatur.

Lineæ exeuntes a percuſsione in montem auricularem, inter digiti radicem & menſalem, profundæque, tot admonent matrimonia aut concubinatus, intercißio vero cælibatum ſeu clericatum. quod ſi matrimonio quis ſit aſtrictus, intercidanturq; in monte, virum ſignant prius moriturum, ſi in percuſsione vxorem, in manu autem mulieris e conuerſo idem eliciturjudicium. Poſtremum ſomniant aliqui, quod ſi fuerint bifurcatæ, ſimiliter plures vxores vel maritos vel religionem polli-

polliceri, quo pacto vero discerni queat prognosticum coniugi ab ingressu in religionem, dicat quæso aliquis istorum, & erit mihi magnus Apollo.

Multæ lineæ paruę & inordinatæ capillaresque ostendunt naturę perfectionem, potentiamque in iuuentute, ipsarum vero situs versus restrictā frigidam ac phlegmaticam complexionem, fluxumq; ventris denunciat, versus percusionem pecunias & bonorum congregationem.

Talis figura □ respiciēs superius in hoc monte famosum virum & crescentem in melius prædicit.

Talis 4 in hoc monte iuxta cardiacam mulierem notat nequissimam, & nephandissimam meretricem.

Litera A hominem dilapidantem bona corpusque demonstrat. B. fortunam & religionem. D. dispositionem ad omnia exercitia & res agiles. E. instabilitatem. C. patricidam, vel fratricidam præsertim grandior, respiciensque cum extremitatibus percusionem: quod si concauū manus, mortem subitam: alii commentātur multas infirmitates, & longas, plerique prodigalitatem, & multorum bonorum consumptionem, multi propensionem ad malum, & virū multæ cogitationis, delectationemq; cuiuscunq; scientiæ profundę, perdifficilisque. F. similiter auiditatem

ſcientiarum ſpeculatiuarum, & fortunam apud principes, Cocles addit peregrinum hominem, fidelem, & amabilem. G. bona propter mulieres.

Stella incrementum innuit, & apparens in fine montis prope vitalem, hæreditates, hoc idem triangulus. Quod ſi ſtella reperiatur in vtroq; monte, voluit Tricaſſus ſubmerſionem in aquis prædici.

Foſſa rubea in medietate montis, in mulieris manu manifeſtat ipſam amare religionem, & in loco ſacro cupientem degere vitam, & quanto profundior tanto maiorem detegit amorem: nonnulli ſunt qui dicunt quod talis foſſa notat lupas religioſorum exiſtere.

Linea apparens in hoc monte, & pertranſiens epaticam lineam, ſeq; circa medium naturalis in angulum coniungens, & ſic cum ea triangulum conſtituens, denunciat delectationem, ſcientiarũ curioſarum veluti nicromantiæ, geomantiæ, artis chimicæ, chiromantiæ & ſimilium.

Duæ lineæ paulum diſtantes ſed parallelę lineę epatis virum iniquum, perfidum & ſceleratum notant.

Multa & fere infinita de montibus tradere potuiſſemus, ſed quia nec commoditatem librorum habemus, nec ſcientiam profitemur, nec etiam ex profeſſo vt diximus hanc tibi conducere cenſemus,

ſemus, & breuitas ſemper iocis amica eſt, & demum ne liber, quem generalem inſtituimus nimium fabellis excreſceret; hæc pauca dixiſſe ſufficiat. Iam tertia manus pars, hoc eſt, digiti, aggredienda.

De digitis in vniuerſali.
CAP. XVII.

Manum cũ ſupra in tres partes ſecauerimus, in radicem, palmam & digitos, & de duobus primis obſeruationes aliquas adnotauerimus, nunc de tertia, hoc eſt, de digitis, agamus oportet, & prius quædam in generali de ipſis narremus. Sciendum ante omnia cacumina digitorum res in capite demonſtrare, longitudinem epatis magnitudinem, at in radicibus vulnera conſpiciuntur, narratque Tricaſſus inter alia ſub indice capitis percuſsiones, ſub medio, pectoris, renum ſub anulari, ſub auriculari pedum animaduerti, ſpacia vero inter digitorum radices vt plurimum brachiorum iudiciis inſeruire. Igitur auctore Hippocrate, digitorum inculpata conſtitutio, bonaq; habitudo eſt, vt interuallum id magnum ſit, quod in medio eſt, magnuſq; digitus indici opponatur. ipſorum namq; diuiſio facta eo eſt, vt poſsint a ſe inuicẽ diuidi plurimũ, talium autẽ erit optima apprehẽſio: ſed carnoſitatis tantũ in ipſorum lateribus decreuit (vt Gale-

nus ſcribit) natura, quod aperta manu liquidum omne contineretur. Si ergo digiti reperiantur temperatæ magnitudinis & ſpeciei, mores optimos innuunt. Parui & tenues ſtultitiæ, inuidiæ, audaciæ, feritatiſque indicia faciunt. Breuiores reſpectu palmæ praui hominis & furis. Nimis tenues & nimium proximi ſtultitiam, quod ſi immoderato inter ſe diſtent ſpacio, loquaces & leues arguunt, pauperesque & miſeros ſi diſperſi.

Digiti erecti & coniuncti ita vt aer notabiliter transluceat, coniecturæ exiſtunt curioſitatis magnæ, dixit Geber aulicum magnum arguere. Si vero collecti ſint & conglobati, vt non transluceat, auaritiam & malignitatem prodere.

Digiti recti ſi flectantur verſus dorſum, auarum, inuidum, ſubtilem, & ingenioſum ſignificant, maxime ſi ſubtilitas accedat, quod ſi ipſorum extremitas ad pollicem vergat, hominem malignum, ſuperbum, infidelem, loquacem, ſeditioſum, & inuerecundum.

Carnoſitas in articulis difficilem apprehenſionem connotat, & ex cõſequenti manus debilitatem.

Si aliquem digitos & ſpecialiter ſolarem ſuper montem pollicis percutientem videris, ac ſi tympanizare vellet, illum iudicabis variæ cogitationis & malæ.

Qui

Qui consuetudinem habet palmã percutiendi dum loquitur,& poſsit abſtinere,imperfectionis ſuiipſius & paſsionis animæ indicium exhibet,ſi vero abſtineat, oppoſitum refert.

Manus extendentes ad aliquid capiendum moderate trementes, manifeſtãt velocem reditum ab ira ad intellectum.

Si quis dum comedit vadit obuiam cibo,maleuolus,gulæ deditus & diſcors homo erit.

Homo ambulans clauſam manum de conſuetudine tenens brachium mouendo,impetuoſus indicitur.

Conſuetudo tenendi pollicem clauſum inter alios digitos auaritiam ſignat.

Digiti circa extremitatem vnguium acuti, cupidum & falſum , & natura prauũ demonſtrant.

Digiti groſsi in extremitate manus paruæ mulieris luxuriam produnt.

Si in prima iunctura digitorum quatuor ſit vna tantum linea interſecata pluribus,longam oſtendit infirmitatẽ& cum difficultate ſalutem.

Vnica linea per longum in iuncturis digitorum mortem ſubitam præſagit , in primis vero tantum,& intercisa,vel in ſecundis reperta licet non intercisa, infirmitates incurabiles ominatur,ſi plures lineæ appareant in prima iunctura per lon-

gum, vnica existente simul in secunda amissionem vnius oculi, si narrare dignum est, prognosticatur: sed si amissio ista accidentalis intelligitur, quo modo quæso fortuita sub artem possunt reduci, præsertim præscientificam? Si vero naturale humorum corruptionẽ hoc prognosticum respicit, nescimus certe quo mentis acumine e manus lineamentis, ne dicamus alteratione oculorum symptomata & defectus non solũ videantur, sed & præuideantur. Attamen & duas lineas per longum in prima, & secunda iunctura virum designare veracem Tricassus memoriæ prodidit, nouam excogitatus philosophiam, per quam animi dignitates a corporali constitutione & figura elicere didicit: sed Geber aliquanto dissimilius hic confabulatur, dicens vnicam lineam in qualibet iunctura mortem subitam vaticinari: sed duo æquidistantes, virum denunciare veridicum & bonum: quod si in mediis iuncturis nulla adsit linea, & in aliis duæ amissionem vnius oculi manibus & pedibus attestatur.

Digiti grossi & parui miseriam & infortunium decernunt, idem si sint cum articulis crassis ex quacunque forma.

Vltimæ iuncturæ digitorum grossæ, & euersæ, diuites temporis reuolutione depauperari declarant.

Si

Si pollex versus digitos, & alii versus pollicem inclinentur, auaritiam cum versutia testificant.

Digiti concaui, indispositi, & non bene se coniungentes bilingues & adulatores significant, præsertim si color rubeus & obscurus, vel liuidus aut flauus adsit: sed cum rubedo & obscuritas, & liuiditas & flauities diuersificentur, quomodo idem vnum omnes possunt designare, videre nõ possumus.

Si in vltima positura digitorum interius in vltimis articulis per latitudinem obliquæ & sic adsint lineæ, submersionem in aquis ostẽtant auctore Gebero. addit Cocles ætatum discrimen, quod tamen irridet Tricassus, vt si appareant in auriculari, periculum immineat in pueritia, in medio, in ætate media, in indice in senectute, in pollice in decrepitate. Sed de pollice ipso & cæteris particulariter commentemur nonnulla de vnguibus, cum in ipsorum cacumine reperiantur post eos somniantes.

De pollice. CAP. XVIII.

Diximus in primo libro etymologiam pollicis, quì clauis digitorum appellatur, & reliqua. Nunc tradendum memoriæ, quod linea ipsum fortiter scindens nota-

bilis & rubea cócubitum innuit cum conſanguineis.

Lineæ infra primam & vltimam pollicis iuncturam, parentelam magnā & paruam ſecundum linearum multitudinem & bonitatem teſtificant. Tricaſſus ad profunditatem reſpiciendo dixit, quod quāto ſunt profundiores eo nobilius deſpondent matrimonium, quod ſi intercidātur ab vna linea groſſa libidinem cum affinibus produnt, ſi ſuper dorſum ſint pollicis, ſubmerſionem in aquis minantur.

Stella in dorſo iuxta vnguē, magnā luxuriam: & tale ſignum quod alii ſic figurant, vtrumque inſaniſsime commixtionem cum matre vel ſorore arguit.

Circulatio in ſuprema iunctura ſuſpenſionem portendit vel decapitationem, chiroſophi non diſtinguunt, ideo nec nos ne fatuitatib. eorum iniuriam afferamus, diſtinguere debemus, & alias etiam rationes deduximus : addit tamen Geber vel ſaltem ob delicta moriturum. quæ ſane veriora & potiſsima ſunt furcarum ſtrangulationumq; indicia & ſigna, quam iſtæ circulationes. ſubdit etiā Geber, niſi appareat diſcontinua, tunc enim prudens euadere periculum poſſet, licet eundē alibi aliter diſtinguentem reperiamus, dum arbitratur quod continuitas circulationis ſuſpenſionem, diſcontinuitas (ne cures

res

res LOTHARI nouitatem verborum) capitis amputationem ominetur.

Lineam quoque arcualem quæ eſt in dorſo pollicis verſus iuncturam coniunctam cum quadam alia arcuali, exiſtente ex parte vnguis, ſuſpenſionem, ſeu decapitationem, ſiue aliud mortis genus violentum prædicere confingitur, ſed & hominem doloſum & nequam arguere ſubmerſionemque in aquis, & animaduertunt, quod ſi non coniungantur, ſed proximæ exiſtant hæ lineæ, proximitatē periculi prognoſticari.

Linea a radice pollicis deſcendens vſque ad naturalem auctore Tricaſſo, vulnera auguratur grauia, ſcindens vitalem tantum, Geber ſomniat mutationes, & longitudinem vitæ.

Lineæ angulares vt Λ.Λ. circa ſecūdam iuncturam infirmitates auſpicantur, & forte conuulſiuas, & ne fabulæ deſint fabulis, ſi hanc figuram ⩓ referant aleatorem, & ob ludum vitæ periculum oſtentant.

Talis quoque figura O vel ⦶ in pollicis dorſo iuxta ſupremā reperta iuncturam, aquarum ſubmerſionē præſagit. neſcimus an huic commento cauſam dederit, quod plerunq; vorticibus qui circulos videntur referre, homines abſorbeantur.

Sed talis ſi multum ſit prope & circa vnguem ſe circumuertẽs, ſuſpenſionem, ſtrangulationem ſeu hominem leproſum, odioſum, furem & adulterũ præſignat. hoc idem ꝓ lepram vel luem gallicam, primum delirium eſt Coclitis, vltimum Tricaſsi.

Prima iunctura circundata ab vna linea continua indicium eſt carceris valde periculoſi, & ſimiles lineas inter primam & ſecundam iuncturam inuentas tot carceres prædeſtinare, manifeſtum eſt quibuſcunque verboſitatibus aures accommodantibus.

Tres lineæ ſupra ſecundam iuncturam per longum hominem infidelem ſignificant.

Lineæ a radice per montem verſus cardiacam progredientes tot vxores vel amicas pollicentur.

Tres lineæ emanantes a radice pulchrę, & gradientes ad Iouis radicem, ſeu verſus montem ipſius, & tuberculus Venereus ſit fortunatus, virum ſurripientem vxores alienas, gaudentemque coitu, & colloquiis & filios ſpurios habentem detegunt.

Sed & linea ab extrema radice interiori proueniens per montem aliquantulum verſus raſcettam, deſignat luxuriam cuiuſcunque generis ardentiſsimam.

Linea principians in radice continua ſi interſe-

interſecatur a cardiaca & media naturali, vſque ad locum quadranguli verſus medium,& in fine ab alia linea parua vt crux itinera prenoſcit,multitudinemque multitudo, & ſi oblonga & rubea appareat, itinera longa,& ſi adſit crux, cauſa deuotionis,ſi vero non fuerit,abſque deuotione,rubedoque futura declarat.

Lineæ vt cruces in primo articulo pollicis diuitias promittunt,hoc idem in tuberculo : ſed & vnica linea a radice pollicis ad indicis ſe extendens radicem,interſecando vitalem circa principium, & cuius finis ſit crux hereditates ſpondet. miramur cur hic chiroſophorum ſubtilitas ob titulos ſeu dignitates eccleſiaſticas vel ab eccleſiaſticis propter crucifera ſigna non addiderit,ſicuti proxime ſupra cauſam deuotionis comméta eſt, ſed me hercule hanc lineam Epiſcopatum polliceri Coclitem ſcribentem inuenimus.

Si hæc figura Q iuxta vnguem multum extendatur furem denotat,maxime ſi celeritas inſit & in oculorum,& in reliquis motibus corporis,acieſque adſit acuta. aliquando tamen quando aliquod furtum intendit,tardus ſolet eſſe eiuſdem inceſſus,vt pauonum & gruum, & præſertim ſi accedat liuidus aut flauus color, cauendumque ab his; ſed & phyſiognomonica & alibi tangemus. Nulla linea inter pri-

mam & ſecundam iunctURAM ignauiam notat. Nunc de Iouiali digito.

De indice. CAP. XIX.

Ante Bernardum Coclitem auctorem aliquem qui de digitis prӕterquã de pollice verba fecerit, nec reperiſſe nec legiſſe vnquam meminimus, etſi nunc libros nõ teneamus, ſed tamen ne vllam penitus manus particulam inobſeruatam omitteremus, nonnulla breuiter tibi ſuper his recenſere conabimur, ridicula eiuſdem ſequentes veſtigia. Si ergo quӕdam paruӕ lineӕ exeant a radice indicis rectӕ & bene coloratӕ, ſuperius ſe extendentes, bona & diuitias promittunt, & honorem ab excellentibus perſonis, nõ deſunt recentiores qui ſomnient prӕbendas & dignitates eccleſiaſticas demonſtrari ad linearũ numerum. Sed hoc vaticinium locum poterat habere ante concilium Tridentinum, ſiquidem tunc temporis prӕbendarum multitudo in vnicam perſonam conferri poterat, nunc autem cum interdicta ſit, paſsimque in obſeruationem canon iſte tranſierit, incaſſum ſomniatur talis linearum numerus. Igitur quis iam non digito tangit noſtrorum chiroſophorum fallacias, nugamenta, & commentitia inuenta? an diſsimilis eſt & diuerſus vel geniorum, vel cӕli, vel elementorum, vel naturӕ,

rӕ,

ræ, vel manus influxus vis, & efficacia nostra hac tempestate ab illo superiori seculo? & si ita est, vndenam vniuersi prodiit vicissitudo? quis cardines rerum vel mouit, vel commutauit? At si decretis ab initio more solito transeunt vniuersa curriculis, cur post concilium prædictum solitum non irradiat linearum numerus influxum multitudinem præbendarum vaticinando? Sed nil minus absurdum esset manentibus eisdem causis, non eosdem ponere effectus, vel naturam aliquando frustra quædam agere, imaginari. igitur quocunque sermo LOTHARI vertatur, chirosophos nostros incidere in laqueos manifestissime deprehenditur; nisi aliquis interpretaretur sub voce præbẽdarum, & dignitatum ecclesiasticarum beneficia intellexisse, quæ clericatus appellãtur, quorum pluralitas non est prohibita: qui interpres non dissimilis esset ab illo qui aliquem sycophanta appellatus, deinde exposuit vt maledictum dilueret, sycophanta, id est, virum probum. Quamuis etiam in vniuersum dependentia a sancto spiritu, vel a libera hominum electione, per manuum signacula præcognosci, nemo vnquam ne quidem suspicari potest, qui vel limites philosophiæ altero pede attigerit, vel non cerebrum supra pileum altius imposuerit. sed fabellas prosequa-

mur. Narrant aliqui, quod ſi reperiatur vna linea notabilis, recta, & decenti conſperſa colore originem trahens ex radice, & ſe elongans vſq; ad mediam iuncturam vel prope, indicium eſſe honorum, audaciæ, & magnanimitatis. quod ſi duæ appareant fortiter digitum ſcindentes violatorem matris, feruentique ardentem venere arguere.

Paruus punctus in indicis dorſo & radice coloratus, filium ſpuriũ habiturum manifeſtat: quod ſi anterius videatur, filias nothas. alibi feminas indicari inuenimus, ſi punctus fuerit ſub radice: maſculos, ſi ſupra, & ad punctorum numerum, numerus deſcribitur filiorum.

Crux inter primam & ſecundam iuncturam adulterium notat, mirum quod hic etiam cum religioſis non fuerit additum.

Stella in dorſo excedentis libidinis ſignum apparet, & forte beneficii vel honoris ex mulieris cauſa obuenturi.

Linea erumpens inter indicem & medium, tranſienſque per montes vſque ad auricularem, hominem crudelem & ferinum, & impetuoſam iram ſed breuem ſignificat, ſed ſi a radice indicis incipiat, & ita ad auricularem ad inſtar cinguli Venerei ſe porrigat, ingenium mirabile detegit.

Linea

Linea a radice egrediẽs & ad raſcettam tendens ingentem prędicit peregrinationem, hoc idem ſi oriatur in loco lunæ verſus dorſum, & ſe per caũeam vſque ad tuberculum indicis extollens.

Quædam lineæ ex radice per obliquum digiti circumuerſæ ad ſuperius verſus dorſum, cholericum indicant & ſuas cõditiones, quam complexionem voluit Tricaſſus demonſtrari a tribus lineis venientib. per latum, ab extra inter primam & ſecũdam iuncturam: ſi vero ortum habeant a latere, & currant æquidiſtantes ad aliud latus ad horũ ſimilitudinẽ ſanguineam: hæ vero phlegmaticam, quod ſi intendant inferius arcuales vt hæ Saturno ſubiectam. Nunquam LOTHARI, legimus humores, ſeu corporeas qualitates, elementaue, geometricas didiciſſe figuras, præterquam apud chiroſophos, & pręſtigiatores. quo enim pacto tales linearũ formas exarare potuiſſent, niſi doctrinam aliquam perceperint? Quis autẽ præceptor niſi delirium humanum extiterit, in mentem reuocare non valemus. igitur Saturnium aggrediamur digitum.

De medio. CAP. XX.

De medio cui & impudici & infamis nomẽ ad libitum attributum inuenimus, pauca chiroſophia cõfabulata eſt, & ſunt.

Si linea notabilis reperiatur in medio ipſius, admonet, quod habens nunquam proficiet, quod ſi obliqua appareat quidquid bonorum a fortuna habuerit amiſſurum: ſi vero habens pugnator fuerit, præſagium facit, quod in rixa ſuccumbet. at tres lineæ paruæ, paululum ſub radice incipientes & aliquanto verſus ſecundam iuncturam aſcendentes, virum prædicunt bellicum.

Linea breuis & groſſa in ſecunda iunctura per obliquum demonſtrat affaſcinatum eſſe, veneno affectum, ſeu ab animalibus venenatis mordendum.

Lineæ inter ſecundam & tertiam iuncturam tot filios auctore Coruo prægnoſcunt.

Vnica, linea ſcindens hunc digitum per longum naturalem inſaniam arguit.

Triangulus ſub tali forma ◁ infortunium portēdit, ſemper deteriorem peioremque, idē linea obliqua ſupra radicem aſcendens ad ſecundam iuncturam, dummodo ipſam non attingat.

Digitus ſi adſit craticulatus interius, ingenium melancholicum, & aliquādo hypocritam notat. Non eſt verbum in hoc capite quod non ſit ridendum, præcipue cum priori poſterius, ſiquidem in principio amiſsionem bonorum fortunæ, in vltimo

timo hypocritas per lineas indicari posse narrauimus. at veritas ratioque vtrunq; facilime refellit; quoniam signa corporea, quæ natura non hominum instituto aliquorum indicia constituta sunt, vel signatorum sunt causæ, vt nubes pluuiarũ, vel vtraq; simul ad vnam referuntur causam, quemadmodum de iride considera-mus, quæ cum serenitatem aliquãdo prædicat, licet ipsa serenitatem non efficiat, ad eandem tamen causam, ad quam & serenitas refertur: sed fortunæ bona externa sunt, & nihil cum corporeis elementis commune habent, vnde eorum amißio vel acquisitio a manuum lineis non solum progigni non potest, sed nec cum eisdem sub eadẽ causa reponi, ita quod de altero alterũ signũ existat. Igitur cũ signa, id est, lineæ chirosophicæ, nullã habeant cũ signato, hoc est, diuitiis sympathiã & cõuenientiã, cõmentitia chirosophorũ inuentio detegitur, ipsas taliũ indicatrices cõstitui: sic & hypocrisis vitium animi conspicitur, cuius habitus siue boni siue mali, nõ a corporis temperamento, sed ab electione voluntateque in vniuersum pendere, in rectioribus philosophiæ scholis manifestum est: Quamobrem si lineæ manus a complexione proficiscuntur, humorumq; commixtionibus, si quid ostendere valerent, nil nisi corporeis annexum

qualitatibus eiſdem demonſtrare concederetur, vires enim pertranſire ſuarũ cauſarũ abſurdiſsimũ in natura intelleximus. Non minus ergo mendax apparet & fabuloſa, per lineas manus hypocriſis ſomniata prædictio, quã amiſsionis bonorum fortunæ, vel animi bellatoris aut victoriæ aut alicuius affaſcinationis & ſimiliũ. quæ quidem ratio ſi ſæpius & apertius conſideretur, fere dimidium deſtruit chiroſophiæ. Interim nos anularem velociori calamo abſoluamus.

De anulari ſeu medico.
CAP. XXI.

In hoc digito linea recta & decenti ſparſa colore, egrediens e radice, & ſe per ipſius digiti medietatem extendens, edocet ſapientem & ſubtilem intellectum: hominemque magnanimum & venuſtum, quod ſi duæ reperiantur, maioris efficaciæ indicium reddunt. Tricaſſus ſtatuit hanc lineam a prima ad ſecundam iuncturam, ſed de linearum quantitate non meminit: Si autem linea interſecetur ab aliis quibuſdam, interdicitur talis ſignificatio, deſtruiturque eius coniectura, quamuis ſecundum alios tunc vulnera in coxa & renis minari ſomniatum ſit, addentes quod ſi obliquę appareant, morſus a quadrupede portendi. hoc idem faciunt

ciunt duo ſemicirculi oppoſiti in prima iunctura, & animaduertunt inſuper, quod ſermo iſte de prædictis duabus lineis, ſeruit in omnibus digitis.

Linea ſemicircularis inter primam, & ſecundam iuncturam, peſsimum debitorem, infelicem, & litigioſum, & male morigeratum arguit. Hoc autem vaticinium ſiue a Planetarum influxu ſiue a corporei temperamenti vi eliciatur, falſiſsimum eſſe deprehendet, quicumque in ſuperiori capite conſcripta in memoriam reuocabit. Mores enim neque a cælo, neque a complexione deriuari, quidquid chiroſophia innitens vel Aſtrologiæ mentita ſit, rationi eſt conſentaneum. Cum enim totius philoſophiæ & theologiæ decreto & ſententia comprobatum ſit, vires omnes proprietateſque cæleſtibus aſtris a Deo optimo maximo & ſapientiſsimo eſſe inditas & infuſas: prout etiam poeta apertiſsime cecinit ibi:

Principio cælum, & terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit: totamque infuſa per artus
Mens agitat molẽ, & magno ſe corpore miſcet, &c.

Quicumq; effectus ab eorundẽ ſiderum virib. & proprietatib. proueniũt nõ tam in naturales cauſas, quã in auctorẽ ipſum naturæ referri accepta poſſunt, igitur ſi

verum eſſet chiroſophicum ſtatutum, opinione illa, quod ſcilicet mores humani a cælo infunderentur, cum aliquando homines ad impietatẽ, ad adulteria, ad puerorum amores incitentur, nonne Deus ipſe talium cauſa ſtatuitur, qui proprietatum cœleſtium conditor eſt & moderator, & vt inquit Salomon, tanquam pater gubernat omnia prouidentia: & alibi, vſque capillos capitis numerauit, pręſertim cum verbo ipſius cæli firmati ſint. quod quam impium & ſit execrabile, nõ eſt cur pluribus demonſtremus. Præterea cum noſtro Theologorum conſenſu receptum ſit, primum hominem, nullam ad malum ante peccatum inclinationem habuiſſe, ſed ab ipſo peccato ſecutam deinde rebellionem rationis ad ſenſum fomitemque omnem, & propenſionẽ ad defectus, quo priuilegio innocentiæ & ſanctitatis iuſtitiæque originalis poſteritas omnis prædita fuiſſet, ſi Dei mandata obſeruaſſet; quærimus nos an ſidera ab initio proprietatem mores influendi habuerint, vel nõ. ſi primum aſtruatur, cum homo innocens ad malum neque ad inclinationem, vt diximus trahi poſſet, vtpote originali circumſeptus iuſtitia, cur fruſtratorias & inefficaces diuina ſapientia ſideribus vires vel proprietates immiſcuiſſet? quod ſi nõ ab initio, ſed poſt hominis malitiam cælum

lum nouis informatum eſt influxibus, cæleſtia naturam motumque ſequi terreſtrium, atque alias aliter commutari, innumeriſq; huiuſmodi abſurditatibus aures poteſt accommodare, quicunq; Buffalorum nares imitatur. Sed neq; verius in complexionis temperamento morum radix inſerenda eſt, & præſagium: quid enim hic niſi caliditatis, humiditatis, ſiccitatis, & frigiditatis commixtio, vnde pituita, ſanguis, rubraq; & atra cõflatur bilis? at voluntas, & electio, & arbitrium, (præter conſuetudinem, exercitium, educationem & leges) morum conditores aliam occupant arcem, hoc eſt animum. Præterea eſto quod ad hilaritatem prædominans ſanguis, ad iram flaua, ad cogitationes atra bilis inuitet, & declinet humanam mentem, cum hilaritas tam ad comeſſationes, luſus, illicitas voluptates, quam ad Dei diuinorumque delicias, laudes, hymnoſque & cantus deflecti poſsit, iraque tam inuiriarum illatrix, quam vitiorum exterminatrix, miniſtraque non tam Dei quam dæmonis conſpiciatur, & cogitatio non tam miſcendis fabricandiſque dolis, quam humanis, eiſdemque honeſtis & diuinis contemplationibus ſe deuoueat. Dicant quæſo nobis iam chiroſophi quanam arte Dædalea, afflatu Apollineo, aut oculo Lynceo, ex ſanguinis prę-

dominio, hilaritatem potius ad venereos concubitus, quam ad diuina gaudia lætitiasque homines impellere & trahere, aut didicerint aut intellexerint, aut viderint: ita quod alterutrum ex ſuis lineis, licet ipſæ vel ebullitiones, vel terminati humorum effectus exiſterent, vaticinari queāt? Sed ſane hæc nugamēta minori digna ſunt admiratione, modeſtioremq; impudentiam præ ſe ferunt; manēt enim quodammodo intra hominum metas; illud autem non tam mirabilius ſiue ſtultius potius, quam audacius & impudentius eſt, dum audent etiam de animarum diuinis iudiciis perfracta fronte diſſerere dum dicūt, & hoc vnum pro ſigillo inſaniæ chiroſophicæ ſanioribus mente ſufficiat, quod prædicta linea ſemicircularis quæ proximo præbuit occaſionem ſermoni, nō tantum litigia, infortunia & malos mores quam etiam animæ perditionem ominari. ridiculū eſt certe has ſtultiſsimas puerileſque dementias tranſcribere, indignius autem reiicere. igitur iter fabularum ingreſſum proſequamur. Addunt ergo quod ſi hæc linea ſemicircularis (quā ſupra repertam inter primā & ſecundam medici iuncturā infelicia & aduerſa vaticinari narrauimus) appareat in digiti radice indiciū facere talia damna offenſaſq; induſtria propria euitari poſſe.

Lineæ

Lineæ primam medici iuncturam per longum ſecantes, demonſtrant mulierem viros ad linearum numerũ accepturam.

Lineæ in hoc digito male apparentes malignum, furem, homicidam, ob nummos & viliſsimas res produnt.

Qui habet lineas ſubtiles in radice pluſquam alibi palam facit negocia ſua, quæ alii celare conſueſcunt, & quandoque deiicietur, quandoque a principibus ſublimabitur.

Character talis [character] in radice maſculam Venerem notat, & nephandam libidinem talis G infirmitatem ſtomachi.

Relinquitur nobis vt ſomniis digitorum cum vltimo auriculari modum imponamus.

De auriculari. CAP. XXII.

Pulchritudo & claritas linearum in hoc digito indicat loquaces, Muſicos, pictores ingenioſos, arythmeticos, geometras, augures, rectores optimos, auidos gloriæ ſuorum geſtorum, ſpeculatoreſque profundorum ſecretorum, latentem & incognoſcibilem animum, etiamſi in monte ſint, & ſecretarios futuros: at loquacitatem & animum facilius detegere, & ſecretis inimicam exiſtere pro certo habemus: igitur cum alterum horum præſagiorum falſum neceſſario deprehendatur; cum

contrariorum idem vnum indicium ſta-tuere, non minus impoſsibile ſit quam abſurdum. Hinc ſimul artis vanitas conſequenter detegitur, chiroſophoſq; quicquid in buccam venit, paſsim & inconſideratiſsime effundere.

Linea deſcendens a ſecunda vel tertia iunctura per obliquũ, vulnera eminus infligenda demonſtrat. Quomodo autem accidentia & fortuita, accidentiumque & fortuitorum circumſtantiæ ſub artem, & artem pręſcientificam poſsint reduci, hoc ab aliqua recentiori & noua philoſophia, neceſſe eſt vt demonſtratum ſit, cum antiquior ſapientum ſchola has ſemitas, & hæc principia penitus ignorare non erubeſcat.

Linea erumpens circa menſalis principium, & tortuoſa aſcendens fere ad ſecundam auricularis iuncturam ſignificat cælibatum & lenocinium & forte clericatum.

Linea oriens in radice & verſus medici montem deſcendens figurans fere ſemicirculum, mutationem vitæ & ſtatus in bonum promittit.

Linea hæc T medicum reſpiciens oſtendit quod propter ſuſpicionem furti verberabitur, ſed ſemper negabit.

Linea quædam valde groſſa ita quod potius ſimilitudinem cuiuſdam ſciſsionis vel

vel foueæ referat, furem obliuiosum arguit: idem si in medium montis a radice aliquantulum descendat.

Talis figura quam sic Tricassus non minus stulte delineat, inter primam & secundam iuncturam sicuti hæc fatuum & furem notat.

Semicirculus in qualibet iũctura dummodo angulus supremus trianguli sit disiunctus capitis amputationem, & forte ob scelera sua portendit.

Puncta rubedine aspersa in radice mulierem pellicem signant, & pro numero tot viris commisceri.

Duæ lineæ nascentes in auricularis radice fere inter anularem, & versus percussionem descendentes per montẽ ad mensalis principium, ibique paululum supra mensalem ab aliis duabus paruis lineis intersecatæ vt iniquum, mendacem, inuidum, fere omnia inique operantem testificant, a cuius consuetudine abstinendum scribit Iohannes Indago.

Linea, vel lineę orientes a radice & tendentes vsque ad tertiam iuncturam perfectum & celebrem intellectum, & virum ob suas virtutes honorabilem manifestãt: addit Tricassus curiosum profundarum scientiarum, phantasticæ cogitationis, occupatumque in exercitiis phanta-

ſticis, ſuperſomniat Cocles bellicum, ſagacem, promptum & ceruicoſum.

Lineæ inter auricularem, & ſolarem in principio, læſiones in manu pro ipſorum numero minantur, apparentes vero inter medium & medicum, in pede, at vnica deſcendens ad vitalis angulum ſupremum mortem peſsimam præſagit.

Lineæ inter primam & ſecundam iuncturam rectæ & profundæ tot filios. obliquæ tot filias; ſi paruæ, breuis, ſi longæ longioris vitæ pollicentur; interciſæ vero nullum filium, vel abortum prædicunt. quod ſi ita tangant ſecundam iuncturam, vulnera in pedibus auctore Tricaſſo, prognoſticantur, qui per eaſdem vaticinium filiorum fallaciſsimum credit. Poſtremũ ſi iſte digitus cum ſua ſummitate non attingat vltimam medici iuncturam, ſpurium eſſe prodit. Hunc ita habuiſſe, & ſpurium ſimiliter extitiſſe gloriatur Cocles, Deo agens gratias, quod bos, vel muſca, vel aliud brutum generatus non fuerit. Hæc ſunt quæ de digitis pro nunc chiroſophos deliraſſe tibi proponimus; nunc cum in eorum cacuminibus vngues reperiri dixerimus, & videamus, cum ipſis librum ſecundum ad finem perducere non erit inconueniens.

De

De vnguibus. CAP. XXIII.

Narrandum igitur quod breuitas vnguium malignum & diſcordem hominem notat; palliditas, aſperitas, nigredo, & quaſi rotunditas venereũ, & promptum. Latitudo, longitudo, albedo, tenuitas, ſplendiditas, indicia faciunt optimi ingenii. quod ſi fuerint longi & anguſti, ſoliditatem & firmitatem, ſi inflexi rapacẽ hominem, & ſi in talibus vnguibus reperiantur digiti valde macri hecticã paſsionem denunciant. Puncta illa alba quæ frequentiſsime in illis videri ſolent, numerum amicorum deſignare tradunt: quod ſi nigredine tincta ſint inimicos; perſecutiones, maledictiones, noua damna & multoties carceres portendi. ſed paulo altius, vt ampliorem ioci & riſus materiam habeamus hæc omnia repetenda ſunt. Vnguium igitur ſecundum aliquos quatuor ſomniantur differentiæ; breues, inflexæ, longiores, & proportionatæ. & proportionem intelligunt cum vnguis latitudo pro tertio longitudinem ſuperat. Proportionatæ ergo, ſi adſit bonus color indicant bonum temperamentum, naturam & ſuas condiciones videlicet ad virtutes inclinationem, quod ſupra reiecimus. Longiores pertinaciam & duram ceruicem, ſed phantaſticum, inſipidum, &

negligentem animum: inflexæ ad instar auium, iniquum, crudelem, persecutorem, sanguinolendum, & auarum. Breuiores vero hominem pessimæ naturæ & condicionis, & feruentem libidine. Minuit autem hæc signa in vnguibus longioribus longa manus, in breuibus breuis, in inflexis, inflexa; omnis autem proportio vires amplificat. sed de punctis in hunc modum retulit Hieronymus Cardanus; Sunt, inquit, in vnguibus signa alba, nigra, alteriusque coloris. Hæc cum abundant, varias & inanes spes aut metus significant, in radice vnguium futura, in medio præsentia, in summo quę iam euanescunt. Alba, bonas spes, nigra, metus, & detrimenta insidiasque, rubra rariora sunt: namque & iniuriam significant. Euentum sortiuntur iuxta ætatem & potentiam hominis, & efficaciam illius: si quasi stella sit & magna & euidens, magnum est quod paratur aut expectatur. Puncta autem profunda aliquid decernunt, in pollice honores & itinera, in indice lucrum, in medio studium cum labore, in anulari inuentionem, in auriculari contemplationem & literarum studia: sunt & amores, & voluptates, vbi non adsit spes effectus expectare oportet. Hæc omnia ex antiquioribus, quorum aliqui paulo clarius rem explicantes scriptum reliquere, quod punctorũ istorum

duo ſunt genera; alba & nigra: & vtriuſq; generis tres extant differentiæ. Alborum enim quædam ſunt ad inſtar guttæ ſuper linum diſperſæ, alia veluti gutta ſibiipſi cohærens, ſed quoſdam radios ſubtiles & fere inuiſibiles ſtellarum in morem extra ſe emittentia, tertia punctum acus magnitudine referunt. Vniuerſa bonorum indicia ſunt, ſed circa res diuerſas & effectus pro ratione planetarum quorũ ſubſunt dominio: quoniam exempli gratia, ſi in indice in quo regnum tenet Iuppiter appareant tertiæ differentiæ ſigna, cogitationes ad honores & dignitates pertinentes demonſtrant præteritas, præſentes & futuras pro ratione ſitus, vt narrauit Cardanus, ſucceſſum vero ſi perdurant aſcendendo per vngues in prima eorum forma & figura ſine aliqua diſperſione. quod ſi ita in extremitatibus aſpiciantur obtinuiſſe palam eſt: ſi vero ſint ſecundæ differentiæ, raro aut optata conſequi, vel conſecutum, vel conſecuturum ſignificant. Reliqua aerea caſtra & non ſine rubore propalanda, vt dici ſolet, penitus euadunt, & in pueris reperta virum nullius vtilitatis euaſurum præſagiunt. Quod ſi vel in medio, vel in medico, vel in anulari, vel in pollice videantur, ad planetarum reliquorum vires & dominia, vt diximus, rerum iudicium trahendum eſt, hoc ob-

seruando quod si in medio vnguis puncta ista appareāt cogitationes supradictas declarant progigni ab appetitu, & desiderio naturali, in partibus vero, fundamentum habere in rebus pertinentibus ad planetam, ad quem respiciunt, vt si ad pollicem vergant ob res venereas & mulieres: si ad medium, ob diuitias & pecunias, & similia, præcipue si in eisdem eadem reperiantur, & ne Mars & luna in his nugis cæteris essent inferiores planetis quo ad has coniecturas dimidium exterius vnguis pollicis Marti concessere, reliquum indicem respiciens Veneri conseruando; at mediū lunæ & Saturno communem statuere, sic insanias insaniis, & somnia somniis connectentes accumulantesque. Addunt etiā puncta ista in manu sinistra, nil aliud ostēdere quam cogitationes & effectus per longum temporis spacium præteritos. Hæc eadem confinguntur de punctis nigris nisi quod iudicantur semper ad malum, quæ vel in oblonga, vel in grossa, seu tumida diuisa sunt, illa ad significata alborum secundæ differentiæ, ista ad tertia trahentes, reliqua primæ assimilata. Rides forsitan, LOTHARI. sed quis non rideat animaduertens in quibus nugis, atque fabellis, grauissimi viri & philosophi oleum & operam perdidere? quin melius mulierculæ & homines idiotæ, quib. talia

puncta

puncta pro numero & amplitudine tot & tam magnas (liceat nobis in Latium Italicam vocem transferre) bugias prodere in habentib. ſemper, & vulgo viſum extitit, mẽdaces homines pro eorũ figura, & multitudine arbitrantibus, forſitan ad iſtorũ ſpeculatorum inanes fallacias & commẽta alludendo: ſed de his ſaniora naturalibus inhærentes forſitan philoſophari potuiſſent, ſiquidem vngues in extremitatibus digitorum, extrinſecus a natura non tantum ad operimentum vt credidit Ariſtot. in IIII de Animal. ſed vt firmamentũ appoſiti, teſte Galeno in I. de Vſu partiũ, ad hoc vt duriora apprehendere poſſent, & ad ſcalpendum, radendum, excoriandum, diuellendum, & ad ſimilia accommodi eſſent: Forma autem orbicularis, & in longum creſcere data ſunt, non vt libidines & tyrannides, & cætera noſtrorũ chiroſophorum deliramenta indicarent, ſed quia figura rotunda, vt quæ nullũ angulum habeat aptior ad reſiſtendum ſit, & augmentum in locum deficiens natura ſemper dirigat. vngues autem ob actiones, quibus diuerſimode inſeruiunt, plurimum in ſummitatibus, vt contererentur neceſſum erat. ſed ſi omnino Albertus, Raſis, Geber, Apponenſis & cæteri ſuper his commentati decreuerant, nõ deerat illis veriſimilius argumentũ: ſiqui-

dem vngues cum ex cute oriantur, & ſint humorum excrementa, colorem cutis humorumq; naturā ſequuntur. Quapropter rationabilius vel ſaltē nō tam ſtulto calamo, punctorū cauſam quæ in vnguibus aliquando conſpiciuntur cōſiderantes ſicuti ebullitionem quandam prædominantium elementorum comprehendiſſent, ita ex illorum colore complexionem humanam rectius ſtatuiſſent, pro earum diuerſitate & viribus diuerſa elicientes iudicia. Nos igitur paululum natura duce hic tecum philoſophantes, quatuor punctorum iſtorum differentias adnotemus, videlicet, alba, fulua, rubea, nigra. Alba homines pituitoſos: fulua ſeu flaua cholericos: rubea, ſanguineos, & nigra melancholicos indicare arbitrantes. Tu vero hæc de ſingulis phyſice ſpeculari poteris. Etenim quandocumque primi generis puncta cōſpicies, hominem phlegmaticum imaginato, præcipue ſi talis fuerit corpore molli, & adipe conſtipato, cuti candida, nulliſque obducta pilis, muſculis & venis deliteſcentibus, ſtatura magis ampla, quam procera, naſo vt plurimū ſimo, bucca inflata, mento rotundo, albis, denſis, & numeroſis capillis, quod in ſexu muliebri præcipue apparet, ſed in vlteriori ętate citius caneſcentibus vel caluitium patientibus, accedatq; lingua imbecillis,

tarda,

tarda, vel balbutiens, incessusque tardus & remissior, & tunc fortasse de similibus rectius præsagies, quod vt plurimum sunt somnolenti, desides, inertes, minusque agiles & expediti, in quibus perexigua vis mentis, memoriæ, & animi præstantia, sed & obtusi, stupidi, ignaui, attamen placido ingenio, mentis sedatæ, & animi simplicis & aperti, & bonæ indolis, veneri minus dediti, non iracundi, vt qui lacessiti etiã nõ incandescant; præterea nullis dolis, insidiis, technis, astutiis, sycophantiis, versutiis vt cholerici instructi. Si vero puncta secundi ordinis ob oculos quandoq; versabis, cholericam complexionem tibi indicari manifestum erit: quod rectius statues si talis tibi occurret, corpore gracili, macilento, musculoso, longitudine decenti. quamuis aliqui reperiãtur, qui licet statura sint pusilli, attamẽ quod etiã a bile proficiscitur, alacres sunt, erecti, agiles, & inquieti, atq; vt apes, teste Virgilio in Georg.

Ingentes animos paruo sub corpore versant.

Sed & colore fusco, aut rubore quodam perfuso, plerumque autem pallido, aut subluteo, cuti hispida, arteriis venisque amplis & conspicuis, velociori incessu, lingua volubili & expedita, capillo nigro, multoties intorto, & crispo, serius canescente, sed cito ob calorem defluente, naso aquilino, adunco aliquando, vt Ger-

manis, Sarmatis, & Belgis, rutila barba, & flaua cæſarie. Et tunc iſti præcipue tibi ſint calliditate, & inſidioſa quadam aſtutia ſuſpecti in contractibus, mercaturis, & negociis, præſertim ſi homines infimæ ſortis, qui vtplurimum futiles, pleni rimarum, inconſtantes, fallaces, ſubdoli, vafri, Punicæ fidei, & vt inquit Martialis,

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus,
Rem magnam præſtas Zoile ſi bonus es.

Cernes tamen hos in negociis quantumlibet intricatis ſe expedientes, atque eluctantes tanquam anguillæ elabentes, ſunt & quidam inquieti, clamoſi, feruidi, præcipites, omnibuſque actionibus, conciliabulis, ſodalitiis, inceſſu, manu, oculis, vultu, voce, geſtibus ſe immiſcentes atque ingerentes, in ſomno tumultuoſi, vt qui exſiliãt ob ſpiritus feruidos, ſunt feroces, imperioſi, indomiti, & vt Horatius de Achille:

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer;
Iura negans ſibi nata, nihil non arrogat armis,
Hoc volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Sed tamen hi omnes facillime placantur & ſedantur, ad iras tamen, rixas, iurgia, contentiones, conuitia, pugnas, cædes, latrocinia, ſeditiones promptiſsimi. Tertia punctorum ſpecies dominium calidi & humidi præ ſe fert, ex quo habitum ſanguineum coniicere licebit, in quo vt plurimum

rimum animaduertes colorem purpureũ, & roſeum, cutem calidam, & mollem, & pilis vndiq; denſis obſitam, ſtaturam decentem, magnitudinem moderatam, formam & ſpeciem ad dignitatem virilem, corpus carnoſum & ſolidum, modice hirſutum, capillum ſubnigrum, cæſariem, barbam, comamque decoram, qualẽ habitum in Dauide fuiſſe 1. Reg. cap. 16, ſcriptura teſtatur. Cum enim in regem a Samuele conſecratur, rubenti decoraq; facie deſcribitur, atque aſpectu eleganti, vultuque amabili & gratioſo. Hic autem aduertendum eſt, quod ſi ſanguis nimium excedere videatur, ſtulti & ſtolidi hominis indicium eſt, vt pote ad naturam pecudũ accedentis. animantes enim quibus hic humor exuberat, paſsim inſulſi, ſtolidi & inepti reperiuntur; vt hœdi, agni, capreoli, ouiculæ, vituli, & ſimiles: inter homines vero quo quis propius accedit ad brutorum naturam, eo magis illorum mores & conditiones exprimit. in quo fundamẽto ſi animaduertes, ſpeculatores noſtri vtplurimum fundarunt aſylum præſagiorum. Hinc quoque credibile eſt occaſionem priſcos traxiſſe commentãdi, homines ſæpius nunc in lupos, nunc in leones, modo in ſimias, aliquando in porcos degeneraſſe, prout deprauatione vel educationis, vel conſuetudinis vel natura prædę

auidi ſanguini inhiant, vel geſticuloſi, ridiculi, ad imitationes faciles, vel luxui & ventri dediti extitere, ſic beluinis moribus ſeſe accommodantes. quod etiam fortaſſe originem præbuit ſententiæ Pythagoricæ de animarum in bruta transſmigratione. Sed ſi complexionem ſanguis temperate & proportionabiliter cõſtituat, tunc in his arguito expeditam mentis agitationem, celerem diſcurſum, ſolertiam, prudentiam, multorum cognitionem, eloquentiam, & per conſequens eoſdem eſſe Reipublicæ vtiles, & ornamento, & ingenio placido, lepido, feſtiuo, vrbano, venuſto. Præterea ſcientes, vt dici ſolet, ſcenæ & foro ſeruire, amabiles, gratioſos, nullis graues, vel moleſtos, ſed ad cælibatum parum idoneos. ad luxum enim & laſciuiam, ebrietatem, obſcænos nephandoſq; amores, fœdoſque concubitus ob ſanguineorum ſpirituum feruorem (niſi ratione reprimatur affectus) vt plurimum ſunt profuſi. Vltima reſtat nigrorum punctorum conſideratio, quibus ſi reſpondeat in homine corpus ſqualidum, macilentum, aridum, ſtrigoſum, cutis ſcabra, facies pallida, liuida, vngues adunci, oculus toruus, obtuſus, reconditus tanquam e Triphonii antro, vel e ſpecu ſancti Patritii nuper egreſſus, color deformis, luridus,

ridus, horridus aſpectus, vultus tetricus, facies maçilenta, conficta, labra ſquallida, collapſa tempora, genæ pendulæ, frigidæ contractæque aures, ſtatura minus procera, ſomnus modicus & tenuis, pulſus exilis, inceſſus tardus, & lentus, veluti ex compoſito melancholicæ naturæ prodigia exiſtent. Huius autem animi & morum conditiones tales fere ſomniari poterunt. etenim in hanc miſerabilem harmoniam tanquam fide data conſpirant fere ſemper & coaceruantur, mæror, triſtitia, metus, anxietas, deſperatio, diffidentia, nulla rerum meliorum expectatio, querulitas, moroſitas, durities, pertinacia, intractabilitas, pecuniarum auiditas, tenacitas, parcitas, inuidentia, æmulatio, amarulentia, indignatio, odium. ſunt & aliquando varii, inconſtantes, venefici, doloſi, cogitabundi & proditores, & ſemper ſalaces, ſed potius deſiderio quam effectu, & præcipue ſolitudini, taciturnitati ac ſilentio tanquam voto vel iuramento Pythagorico adſtricti. Sunt aliquando in puellaribus conſeſsibus, & tripudiis, nonnulli profuſi & expediti, & rurſus peracta celebritate priſtinam ſeueritatem induentes, delectantur puellis & imaginibus, at vt plurimum grauiora ſcelera ex his prodire conſpiciuntur; ideo ca-

uendum ſemper a tali habitu. Acumen tamen intellectus & contemplationis faſtigium in hac complexione cæteris ſupereminent. Hinc eſt quod altioris philoſophiæ & literaturæ viri paſsim meláncholici conſpiciuntur, & in ſuperioribus ſeculis, veluti Ariſtoteles, Heraclitus, Chryſippus, Democritus, Zeno cynicus, Auempaces Arabs, Auerroes, teſte etiam Marſilio Ficino in libris de Immort. animorum, qui etiam recenſet in his Platonem, Socratem, Varronem, Apollonium Tyaneũ, Pythagoramque extitiſſe. Sed iam orationi ſit modus. ſufficit enim occaſione vnguium & punctorum iſtorum ad ampliora ſomnianda naturæ etiam inhærendo tibi viam aperuiſſe. extant enim alia infinita apud Phyſicos de horum virtutibus & vitiis: apud quos licet aſtra in res inferiores efficaciter vires influant, humores tamen atque elementales qualitates corporis humanum habitum potiſsimum cõſtituere, diuerſaque ingenia morumque diſcrimina parere manifeſtum eſt. Quanquam enim homo natura liber naturæ quoque fomites ſine dubio valeat ſuperare, attamen neſcio quo fato ad malum rapi, & deteriora ſequi paſsim conſpicitur blanditiis ſenſuũ irretitus. Nos vero hominem ſponte ſeipſum in vitia præcipitem dare, in moreſque alterutros voluntarie

tarie prolabi, ſyderaque præter lumen & calorem nil aliud terreſtribus impartiri, partim alias rationabilius tetigimus, partim in vtroque Pico diffuſius comperimus, ad quos, ne eadem recitãdo longior ſuperfluat narratio, te etiam remittimus. Hactenus igitur de modo iudicandi, de manu, de raſcetta, de palma, & digitis luſiſſe ſufficiat. Nunc ad nugamenta linearum principalium & notabilium prætereamus.

LIBER TERTIVS.

Proponitur ratio huius libri.

CAP. I.

Abſoluimus, LOTHARI illuſtriſsime, in ſuperiori libro primam partem ſubiecti huius facultatis, manum videlicet: alteram vero hoc eſt lineas in ſequenti pertractabimus. Miraberis fortaſſe quanam impulſi ratione tertium librum nos lineis deſtinaſſe atteſtemur, cũ nil aliud fere in ſecundo quã de eiſdem percurriſſe videas. Sed hoc ideo eſt, quia cum illæ ſuper quibus ſomnia hucuſque confecimus nullo penitus ſignentur nomine, & facillime & adeſſe & abeſſe reperiantur, ſecundũ ſpirituum planetarumq; dominantium robur, & efficaciam, non ab re duximus eſſe, ſi has tantum quatuor principales, & fere

ſemper apparentes, quæ totius artis vt inquit Tricaſſus gubernatrices ſunt & regulatrices, cæterarumque radix & origo, vitalem, epaticam, naturalem, menſalem, earumque ſorores, cum aliis tribus ſequentib. particulari nomine inſignitis, linea ſolari, via lactea, & Veneris cingulo, tractatui ſeu delirameto de lineis ſeparatim adſcripſerimus. De his igitur vt propoſitum fuit, in præſentia confabulandū a vitali tanquam a nobiliori exordiendo, ſed prius aliqua in generali de ipſis lineis prænoſcenda ſunt.

De quibuſdam prænotandis circa lineas.
CAP. II.

Cum in linearum commentitio præſagio aliquando mentionem facturi ſimus, de earum longitudine groſsitie, breuitate, cōtinuatione, proportione, & cum venis correſpondentia, nec non de aſcenſu & deſcenſu, ſcire oportet ipſorum omniū cauſam & originem. Longitudinem ergo linearum calor efficit: groſsitiem ſuperabundans frigiditas cum eiuſdē caloris naturalis defectu non potentis materiā extendere, ſed differt ſecundū aliquos groſſities a tumiditate, ſiquidem linea groſſa dicitur quæ æqualem habet profunditatem: tumida vero cum ſuperficies latius per palmam vagatur. Breuitas igitur a frigiditate

giditate ſimplici procedit. Principium continuationis linearum eſt ſanguis. Proportio naſcitur ab humidi & calidi proportione, quæ conſiſtit in tribus bona poſitione, forma, & colligantia, hanc vero habent cum venis ſeu arteriis correſpondentiam, quod lineam vitæ cordi correſpōdere arbitramur, epaticam, epati, naturalem, cerebro, & menſalem, ſtomacho, adeo quod in loco menſalis oſtēditur terminari vena communis, ſub naturali vena cephalica, & ſub epate epatica. Sed aſcēdere dicuntur lineæ, ſeu earum capilli quando ad pollicem & indicem extenduntur, deſcendere cum ad percuſsionē, & raſcettam vergunt, & narrant aſcenſum omnem fortunatum, & deſcenſum infelicem, licet Tricaſſus in quibuſdam contrarium ſomniauerit, attamē circa lineas pręcipua eſt conſideratio ruboris & palliditatis. Rubor ex ſanguinis dominio; palliditas vero procedit a pituita, vel a malo temperamēto, ob ſuperfluam prauorum humorum multitudinem calorem ſuffocantium naturalem. Omnis igitur palliditas ſimpliciter mala, & effectus, vel longinquos, vel præteritos oſtendit, præſertim ſi vix appareat, cōtra rubedo, nam vel proximos vel præſentes arguit, & ſicut illa debilitat ſigna, ſic iſta corroborat. dixi vero ſimpliciter malam palliditatem,

quoniam aliquando per accidēs bona est, veluti circa lineas minantes vulnera, iras, rixas, & similia, tunc enim effectus remissiores præsignat. Vlterius tradendum memoriæ, quod si lineæ principales sint malæ, & sorores insuper infortunatæ, duplicabitur ipsarum malitia, & econuerso, quod si priores sint bonæ, sorores autem malæ, bonitas earum minuitur. si vero principales malæ, & sorores bonæ malignitas reprimitur. Sed si in diuersis lineis contraria signa apparere contigerit, attenditur signum in principali, alterum vel minuit, vel auget effectum. Exemplum. Discontinuitas mensalis ominatur breuitatem vitæ. quod si vitalis optime constituta sit quæ longitudinem pollicetur hāc esse obseruandam chirosophi decreuere. Qui fabulantur insuper quod bona linearum dispositio membrorum principaliū bonam indicant dispositionem; hæc autem bonam humorum, hæc spirituum, & hæc denique longitudinem vitæ, & econtra, prę sertim si crassities adsit, prę sagium malæ mortis. Addunt quod omnium linearum principalium continuitas, & decens color bonitatem generaliter innuit, discontinuitas & malus color contrarium auspicatur. Discontinuitas autē duplex apparet, altera quæ recte & perpendiculariter lineā frangit per medium

vt hæc ¦, altera quæ licet lineam diuidat, attamen per obliquum ramos extendit, fractionem quodammodo amplectens, vt iſta ¦l. prima infelicior habetur, rurſum iſtarum illa eſt peior, & celeriorem & ſubitaneum oſtendit euentum, quæ & apertior. Narrant etiam quod lineæ virorum in dextra, mulierum in ſiniſtra fortiores habent effectus, fortiſsimos in ambabus repertæ manibus. quod ſi aliquam manũ nullam penitus habere lineã comperiant, hominem beſtialem, & natura diſpoſitum ad viuendum ſicut animal brutum, nemini dubium, dummodo propter laborem & defatigationem deletæ non fuerint. His ſic de lineis ſparſim & generice præcognitis, de vitali ſermonem facere incipiamus, hoc interim cuſtodientes, quod ſicuti vires diſcontinuitatis pro ratione apparentiæ, & hiatus augentur: ſic continuationis ſigna omnis linearum interſecatio pro ipſarum forma & dominio reprimit.

De linea vitali. CAP. III.

Vitalis linea, vt diximus, cordis diſpoſitionem declarat, & ex conſequenti totius naturæ, ſiquidem cor eſt fons ſanguinis & ſpirituum vitalium. Hæc itaque ſi extendatur ad raſcettam, vel prope, & perfecte diuidat palmam, & ſit continua, recta, æqualiter lata, profunda, decenti conſperſa

colore, ſcilicet neque palliditate, neque rubedine excedens, longitudinem vitæ, ſecuritatem animi atque audaciam, & cor optimum deſignat.

Diſcontinua, & breuis admodum raro ad optatum aliquid perducere, breuitatemq; vitæ demonſtrat, ſi in concauo deſignat timidum, auarum, modicæ fidei.

Stricta, ſubtilis, & decentis coloris, præſertim verſus mediam naturalem hominem ſani conſilii, & ſubtilis indicat intellectus, Tricaſſus contra ſi fuerit groſſa hæc omnia prædicare, addenſque liberalitatem & magnanimitatem, quod ſi admodum lata appareat & pallida, contraria deſignat. Si acuta ſuperius & coniuncta indicium eſt optimi conſilii, & ſubtilis imaginationis, profunda & groſſa & terreſtri tincta colore, rudem vitam notat & beſtialem, rubentior feruentem irã, groſſior in fine verſus mediam naturalem ruſticam teſtificat complexionem, grandior vero & in vniuerſum rubicunda crudelitatem indicit.

Quando eſt furcata (liceant nobis hæc & ſimilia verba, non enim in hoc libro vocum electionem, elegantiamque ſermonis profitemur) in parte ſuperiori, alii narrant in fine, vt contrarietas vanitatem artis detegat, vel ibi adſint tres ramuſculi peregrinationem & ſententiæ inconſtantiam

tiam

tiam prædicit. Hoc idem si magis sit grossa versus naturalem quã rascettam. quod si vnus de illis ramusculis acutum cum naturali constituat angulum, optimum intellectum, consilium, virtutem, verecundiamque delineat, at aliter delirat Tricassus, dicens, bifurcatam in principio calliditatem, astutiam, secretum & fidelitatem prænoscere, in fine peregrinationes per duo climata: quod si in ramos desinat per tria, & forte post triginta annos. Sed & infidelitatem & inconstantiam prodere alibi somniauit. quid quod & Geber bifidã in fine partim religiosam, partim vitam secularem vaticinari commentus est? O ridicula & puerilia deliramenta! Diximus supra neque vitia neque virtutes, & multo magis externa indicari posse per has manuum delineationes, sed nihilominus similes persequamur fatuitates.

Si hæc linea habet ramos superius ascẽdentes versus cerebri lineam sub hac forma diuitias & dignitates pollicetur, in fine vero versus radicem descendẽtes sub hac paupertatem & mortem extra patriam minantur: resque semper in peius ruituras, seruorumque fraudes & proditiones. Si vero tales radii vadant extense per triangulum tantum, hominem bonæ spei significant & bonum habiturum, sed primo malum.

Groſſa inter indicem & pollicem ſecũdum ſomnia recentiorum, argumentatur inclinationem ad homicidia, præſertim accedente rubore, ſi tumida ad fornicationem. ſuperaddit Geber in muliere partus ſuffocationem prognoſticari, & ſi in ea adſint diuerſi colores, cum multis libidinem expleturam. Tricaſſus ſpuriorum indicia facere.

Si in fine iuxta raſcettam crucem habeat vel ſtellam opes in ſenio, at in principio ſtella apparẽs glorioſum hominem & felicem edocet, crux diuitiarum amiſsionem & dignitatum ominatur.

Circuli iuxta vitalem oculorum priuationem pro numero præſagiunt, & ſi appareant ſuperius calamitatem præteritam, ſi inferius futuram, ſi in medio, in ætate media, ſi vero infixi ſint in vitali, percuſsiones circa cor & in ætate pro ſitu. At ſemicirculi circa finem, læſiones oculorum. Alii ſomniarunt hos circulos infirmitates tantũ decernere, ſed vitalis tranſfixa præcipue in parte inferiori mortem propinquam portendit.

Si hæc linea habet in parte ſuperiori tortuoſum inceſſum cum rubedine, hominem iniquum, fraudulentum, auarum vitioſumque detegit, mulierem meretricem.

Linea tortuoſa in fine vitalis infirmitates graues denunciat.

Vgo narrat interſecationes circa medium vitalis apparentes, vel initiatum, vel initiandum ſacris ordinibus manifeſtare. Si habet ſororem pollicis æquidiſtantem & ſit profunda, luxuriam & crimen arguit Sodomiticum.

Triangulus prope initium vitalis dignitatum amiſsionem oſtentat ſub fine, auctore Gebero, auiditatem gloriæ & ſtudiorum, & timorem vanum vbi res non exigit.

Linea rubea directa a cardiaca per medium pollicis coitum cum affinibus notat.

Linea incidens hanc verſus reſtrictam præcipitium ab alto prædicit, hoc idem lineæ venientes a percuſsione manus, facientes angulum acutum in eodem monte. Similiter litera C in quadrangulo reperta: quanquam alterius vaticinium ibi eſſe narrauimus, hoc idem ſi in loco Martis appareat. Hoc idem duæ lineæ cauſantes angulum acutum in monte indicis prope radicem ipſius, & tunc forte per alienam vim. Idem ſi ſoror vitalis videatur in concauo, & in principio interſecata. Quæ omnia extra locum hic aggregauimus cum idem concernant præſagium.

Eminentia carnis vel porrum in vitali diuitias ſpondet.

Grana quædam vel inordinatæ super ipsam puncturæ libidinem ardentem testificant, hominemque contentiosum, litesque commoturum propter quas sanguis effundetur, sed & cogitationes, & melancholiam pro ratione profunditatis & magnitudinis, infidelem proditoremq; præsignant.

Linea ascendens recta a vitali ad Saturnium digitum per medium naturalis, diuinatorem, somniorum interpretem eximium, extollens se ad anularem honores & dignitates apud principes, ad auricularem vulnera demonstrat.

Quædam lineæ pulchræ, paruæ, bono intinctæ colore secantes in principio vitalem, quot sunt tot promittunt filios in manu virili, in feminea si adsint huiusmodi Z.

Duæ lineæ iuxta vitalem in fine montis Venerei vaticinantur matrem primo morituram. Tu autem recordare quod in Euangelicis habemus traditionibus; Vigilate & orate, quia nescitis diem neque horam; sicut enim nihil morte certius, sic nil mortis hora incertius. Sed & eo magis insania huius præsagii detegitur, cum & apud Poetas scriptum relinquatur, quod & passim millies in hora experientia docet:

Mors

Mors & fugacem perſequitur virum
Nec parcit imbellis iuuentæ
Poplitibus, timidoque tergo. & alibi;
Aequa lege neceſſitas
Sortitur inſignes & imos:

Igitur cum ætatum diſcrimen cæca mors non intelligat, quomodo chiroſophia intellexerit alterum altero prius moriturum, tu ipſe conſidera.

Si quædam linea a vitali deſcendens coniungitur cum media naturali vulnera vel eorum periculum admonet, & ſi incipiat vbi eſt ipſius cum naturali iunctura, & deſcendat ad mediam ipſam, a miſſilibus euentura. ſed ridiculoſius non eſt delirium quam cum dicũt, vitalem ſecatam verſus raſcettam paruamque formantem crucem indicium facere boni finis & confeſsionis. Longum eſſet profecto omnia recenſere, ideo ad ſorores ipſius veniamus, nam & animus longiorem moram in his nugis iam faſtidit, temporiſque deplorat iacturam.

De ſororibus vitalis quarum altera Saturnina appellatur.
CAP. IIII.

Dicendum prius de vitalis ſorore illa quæ verſus pollicis montem apparere ſolet, vt in primo libro declarauimus, deinde de Saturnina. Hæc linea breuiter ſi in

manu reperiatur, nephandiſsimam libidinem & concubitus & adulteria cum pueris, matre & ſorore & affinibus, cynædumque, manſtrupatorem, libenterque manibus pudenda fricantem arguit, maxime ſi ſit protenſa & rubea in monte veneris.

Venereorum vero genus multiplex aſſeritur, aliud enim molle, aliud vero effrenum, & immodicum, aliud turpe, aliud audax, vt adulterium, conueniunt omnes ſpecies in laſciuia, & in apparentiæ verborumque blanditia; attamen immoderatam luxuriam a piloſitate corporis femorumque (tales ſunt aues) proprie refertur. Rurſus communia ſunt præcipue iuuenibus pueriſque aſpectus impudicus, mutui, & munerum flagitatio, mores effrenes, pudor profligatus, & cũ incognitis nimia conſuetudo. Differunt iterum vniuerſa libidinis incẽtiua peculiari quadam ardoris ratione; licet enim hæc peſtis ſit totum ſparſa per orbem, & vt inquit Tragicus:

——iuuenum feroces
Concitat flammas, ſenibuſque feſsis
Rurſus extinctos reuocat calores,
Virginum ignoto ferit igne pectus,
Et iubet cælo ſuperos relicto
Vultibus falſis habitare terras:

Deligit tamen ſibi vnuſquiſque proprias delirandi notas, ſecundum quod natione

vel fortuna, vel dignitate, vel ætate, vel ſexu differt. Quamobrem diuerſimode mulierum venas, & maſculorum, & iuuenum, & caneſcentium depopulatur furor, & aliter in medullas popularium procerumque Cupidineus prolabitur vermis. Nec eodem modo pauperum cor diuitumque cæcus vorat ignis, ſed & aliter Italia comburitur ab Hiſpania, & diuerſum a Germanis Gallorum libidinis eſt incendium. ſiquidem mulierum inſania obſtinatior, maſculorum apparet feruentior, adoleſcentia laſciua conſpicitur, ſenectus ridicula, proceres ſpectaculis pompaque, populus conuiuiis ſtudet placere; diues præſtat munera, obſequium pauper. Sic Ouidius:

Cum dare non poſſet munera, verba dabat.

Quamquam nos hic in vulgi ore habeamus, quod ruſtica pugnis conuiciis & maledictis ſuperari ſoleat; nummorum & gemmarum ſplendore capi popularis, matronaque obſequiis & loci commoditate demulceri: licet Romana nobilitas non niſi Danaes imbribus inebrietur, patriciis vel mariti ſint, vel parentes, vel fratres, vel quocumq; titulo ſceptrum caſtitatis prætendentes, ob auri ſacri famem ventoſumque ambitionis faſtum conſenſum ad hoc præbere coactis, & velantibus interim frontem oculoſque adagio quo-

nam dedita opera per ſemetipſos propterea vulgato:

Purpuram, ſcilicet, *cornua non facere.*

Rurſus amorem diſsimulans callidus Italus quadam adornata laſciuia amatã circuit, quam variis decantatam verſibus ſuper alias mirifice extollit, votum conſecutus, protinus zelotypia captus amatam Argo veluti captiuam commendat, ſpe potiendi deſtitutus ad conuitia conuertitur, illamque innumeris lacerat maledictis: impatiens Hiſpanus præcipi adactus furore anxia bachatur luxuria, & perditus lachrymis miſerabilia intermiſcens lamenta, ardorem ſuum ingemiſcens, amatam veluti Deam inuocat adorans, de qua triumphum agens ad extremum aut zelotypia affectus occidit, aut faſtiditus ad mercedem proſtituit, ſi victoriam deſperat, ſemetipſum excrucians vitam finire velle videtur. Laſciuus Gallus amatam ſubactam contemnens nouam ardet, vt iuuenile deſiderium ad effectum perducat, obſequia frequentans muſica & ludis illius aures oculoſque demulcere ſtudet. In zelotypiam forte prolapſus ad extremam luget mæſtitiam: quod ſi intentione fruſtratus ſit, Itali inſtar conuiciis inſectatur, vim parat, vltionemque cominatur. Gelidus Germanus ſenſim incaleſcit, vbi ignem concepit, pathicam aſtu adori-

adoritur, muneribus allicit, zelotypus continet liberalitatem, consecutus votum visibiliter refrigescit, spe abruptus vilipendit. Sese amatum ab amata sibi Hispanus persuadet, amorem fingit Gallus, dissimulat Germanus, pathicæ zelotypus semper Italus: Formosam licet inertem mauult Hispanus: iucundam licet turpem Gallus, audacem Germanus, timidulam præfert Italus, pertinax amor Gallum stultitia exutum induit sapientia, sic & Germanum sed serius, & post rerum omnium dilapidationem. at sicuti vt pathicæ placeat Hispanus ingentia adgreditur: ita vt illa potiatur quorumcumque maiorum contemptor est Italus. In vniuersum vero his omnibus vox exauditur, vt plurimum mollis, muliebrisque, tenuis, intercisa & variabilis, in capillis nigredo, rectitudo crassitiesque comperitur, in temporibus pilositas, color ex rubro albus, & cum maculis lentem referentibus. Litera L. vel crux, vel hæc figura ♈ inter supercilia, hæ autem H—Ɔ. ⅂3 super oculum sinistrum, vel in sinistro frontis latere similis ♑ adeo vbique deliria reperiuntur. Præterea adulteris adsunt oculi lasciui, videlicet sudi, intenti, hilares & splendidi, & quales pueris apparent ad poma

manus extendentibus, risus quoque facilis, blandus sermo, & coram populo comptus & ornatus, modestusque, sed secreto intemperantes existunt, puellas pulchras oculis emissitiis tametsi nō firmis ob præsentes intuentur, in vniuersum pedicones, irrumatores, mastrupatores, fellatores, & cuicumque concubitus fœdo generi addicti, vestigia turpia in fronte habēt, næuos in cacumine nasi, item in palpebra inferiori sinistri oculi, & frequentius hoc signum ⌒ in frontis dextera parte. Præterea vt propositum prosequamur nō solum hæc prima soror libidinis indicium facit, sed & vitalis corroborationem adfert, & maximum in ægritudinibus præsidium, nec nō & sacrilegium notat, demorarique extra patriam, & forte mori, prædicit quoq; itinera & diuitias: & narrant, quod in quacumque parte deficit, in ea ætate paupertatem indicat, & vbi apparet diuitias. Si oritur a summitate anguli supremi, & se extēdat ad restrictā vel prope, longitudinem vitæ promittit. Transeamus ad Saturninam.

Saturnina si vsq; ad medium extenditur carceres, præsertim si ibi furcata, ob sua scelera, infidelitatemque, hominemque circa multa sollicitum demonstrat, recta, vsq; ad naturalem longam spondet vitam, & studiosum hominem virtuosumq; designat.

ſignat. Si eſt tortuoſa, capillaris & diſcontinua in concauitate manus, graues infirmitates & præcipue Gallicas, inquit Tricaſſus, mentiſq; offuſcationes denunciat, ſi aliquantulum ſolum appareat in concauo præcipitium ab alto, & cum maxima læſione, ſi bene condicionata ſit, diuitias firmas poſt curſum Saturni in ſuis annis inſuper auaritiam notat præſertim referto lineis monte, ſed & fabricatores, & itinera: omnis autem interſecatio ipſius de more affert impedimentum. quod ſi fracta ruperiatur ægritudines tibiarum auguratur, edocet quoque tali inſignitos linea eſſe communes amicos, vtilia conſulentes, graues in mente, duros in cogitatione & opinione, non audaces, comeſtores, adulatores, ſuperbos, iactatores, verborum paucorũ, inſatiabiles, cauendumque tibi ab iſtis.

Si Saturnina ad medicum aſcendat, & tuberculus Saturni ſit lineis refertus, ingratitudinem, odiumque conſanguineorum admonet.

Si hæc linea cũ vitali cõiungatur aſcendatq; recta & nõ interſecata ad digitũ Saturni, hominẽ vaticinatur profundi cõſilii, ſecretumq; & callidum, ſi habet bonam poſituram, & extendat tantum ſe ad mediam naturalem ingenium in rebus antiquariis præſtat. Quod ſi ortum habet a

rascetta, & cohæreat naturali in concauo manus cum trina proportione vitam longam pollicetur. Hoc idem omnis bona eminentia & colorata tuberculorum.

Si ascendit a vitali ad tuberculum auricularis dignitates & honores cum diuitiis pollicetur.

Si prope radicem Saturni habeat crucem, vel furculata sit carceres, accusationes, persecutiones, & fugam portendit, talesq; sunt proditores, maledici & vniuersaliter malorum morum.

Si emergat a cardiaca transiens per concauum manus secando mediam & mensalem, & directa inter indicem & medium vsque ad vltimum locum, & mensalis ad eundem deueniat eam transcendendo apostema, aut læsionem mamillarum in mulieribus præsagit. Item si sola sit mensalis, dummodo subtilis & rubra. Hæc de vitalis sororibus. lineam epatis prosequamur.

De linea epatis. CAP. V.

Linea epatica frequenter in manibus solet deficere, & tunc indicium facit malæ digestionis & phlegmaticæ naturæ, quanquam nõ est tunc omittenda in eius defectum loci consideratio, an sit bene complexionatus vel non. si enim fortunatus appareat, reprimitur admodum isthæc

hæc malitia, contra non parum augetur, ſi addatur ipſius quoque infelicitas: & ſicuti eminentia & color eiuſdem bonitatem oſtendit, ſic malum indicat temperamentum palliditas, depreſsio, lineæque capillares, quod quidem etiam epaticas denunciat ægritudines, & ſtomachales, præcipue hydropiſiam epatiſque opilationem.

Si hæc linea appareat recta, profunda, ſatis longa, lataque, decenter & bene colorata, bonitatem ſtomachi epatiſq;, nec non lætitiam, audaciam, & vim potentiam ſeu fortitudinem in coitu deſignat, quod ſi contrarias habeat qualitates, contrarium demonſtrat.

Si hæc linea finem habeat in cauea cardiacæ non adhærens, hominem moriturum extra patriam, & multitudinem difficilem periculoſamque maritimorum ſignificat itinerum.

Si verſus brachium bifurcata reperiatur necem violentam minatur. quidam ſomniãt in feminis tantum ob peccatum commiſſum, alii in viris ſolummodo ratione furti, nonnulli in vtriſque: idem ita in principio inuenta ſecundum Almadal, qui vtrinque ſemper malum portendere conſcripſit, malamque complexionem. quod ſi extiterit capillaris verſus naturalem hydropiſiam & obſtructiones,

transſcendens vero naturalem, & mẽſalem verſus mediũ phthiſim, at punctis quibuſdam infixa duritiem ſplenis & ventris, quartanaſq;. implebunt hic craſsiori riſu buccam, fauces, pectuſq; Hippocratiſtæ. Sed vtinam ipſi aliquando clariora intuérentur morborum ſigna. etenim non ita paſsim ipſorum cauſam particularẽ ignorantes ad humores ſiccos vel frigidos, vel ad nomen catharri frequentius confugerent: ſic corruptiones & apoſtemata varia baptizantes, quæ medicamentis calidis & humidis potius irritata adauctaque, poſtremum mors omnium ſycophantiarum detectrix non a frigida vel ſicca, ſed potius a calida vel humida qualitate principium, augmentum, ſtatum, declinationemque traxiſſe, ſed ſero & fruſtra confiteri vt plurimum conſueuit, dum tamen iſti interim ad latebras, ambages, diuerticula mille innumeraſque technas cantilenaſque pro tempore conſtructas confugiunt, in quiduis aliud potius culpam erroremque referentes: verumtamen non vniuerſos cõplectitur noſter ſermo; nam & viri doctiores probique aliquando reperiri videntur, ſed vt inquit Poeta:

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

Ideo redeuntes vnde digreſsi ſumus: ſi hęc linea ſit magis rubea verſus cardiacã dolorem capitis; ſi magis vbi naturalem debet

bet tangere, indicat os & pectus fœtidum, & hecticam paſsionem, præſertim ſi manus ſit macilenta & ſicca.

Si conſtituit angulum ſuperiorem non acutum ſed rectum, longam vitam & bonum ingenium pollicetur, ſi acutũ etiam deceptorem & perfidum. Perfidorum autem natura talis deſcripta comperitur, quod ſcilicet blandi ſunt verbis, in agendis prompti & mẽdaces, prodigi, luſores, iracundi, nec iram verbis effundunt, inimicos blande excipiunt, minime maledici, & faciem inſpiciens animaduertet partes circa oculos habere molles & vacuas, oculos autem concauos, longiores multo quam latos, in quorum iride circuli, aut ſemicirculi vehementer mobiles inconſtanteſque, ſanguinei, aut pallidi, ſupercilia iuncta, contractam frontem, capillos criſpos, collum breue, aures paruas, mentum exporrectum, vocem ſubmiſſam, colorem rubeũ, aut pallidum nigricantem, lineas in fronte habẽt viperis ſimiles, (cõtortas ſcilicet) & maxime ſuper oculum vtrumque, ſiniſtramque ſuperiorẽ maxime huiuſmodi ═⌒═ næuos quoq; ſuper ſiniſtram palpebram, aut ſupercilium, aut circulos deformes tranſuerſaſque figuras. Motus autem perfidorũ concinnus eſt, & inter eundũ retro ſæpe reſpiciẽs, ornatus venuſtus. Perfidiam vero generat affectus

rationem vincēs,& ratio ſuperatur vel ob conſilii imbecillitatem, vt in mulieribus, pueris, vanis & ſtultis, vel ob ingenitā improbitatem, vt in impiis & auaris, ſicuti de Cicerone & Demoſthene traditur, quorū alter Siculorū ſuorum cauſam, alter populū Athenienſem accepta pecunia prodidit: vel ob vehementem iram. ſic regem Albuinum coniugem Roſimunda interemit, quod in capitis paterni caluaria eam bibere coegiſſet. Notantur populi perfidia præcipue Afri, Græci, Theſſali, & Carthaginenſes, vnde in adagium *Fides Punica* tranſlata, quorum princeps Annibal decantatur.

Sed ſi Epatica tangit naturalem & Cardiacam indiciū eſt operationis vehementis in membris principalibus.

Si quædam linea notabilis hanc ſcindat in manus tranſiens concauum, proximam denunciat infirmitatē, dummodo rubore conſperſa, nam ſi palliditate intincta ſit, præteritā ſignificat. quod ſi in manus concauitate oriatur prope Cardiacam habēs ramum tendentem ad brachium radio ſimilem, infra ſex annos ægritudinem vaticinari ſomniant, & ſi partes eiuſdem circa brachiū ſint groſsiores, infra duos annos, quod tradentibus credendū relinquimus.

Quando a Cardiaca ſeparatur, vanum & inſtabilem notat, ſi cum ipſa conſtituat in an-

in angulo crucem inclinationẽ ad bonũ, bonumq; demonſtrat intellectum: ſi vero ſit tortuoſa & pallida, aſtutiam & ingeniũ magnum cum iracundia, quod ſi a capitis linea diſtet, hominẽ deſignat ſibi placentem, detractorem, mendacem, prodigum, vani ſermonis, inuidum, & ineptum. Sed & ineptum apertius deprehendes, ſi cum hoc ſigno concurrat facies amplior, frons circularis, color albus, aut nimis niger, prælonga crura, & rotunda, & ſoluti articuli, collum complexum, craſſum, & colligatum, muſculi ſcapularum ſurſum expanſi, mandibulæ magnæ, oculus prominens & croceus, aut albus, non cauus, qua ceruix collo implantatur omnia carnoſa, & pinguia, & facies præcipue, in fronte nullæ lineæ, aut exiguæ, nec rectæ aut firmæ, & hũc iudicabis omnia ſemper in medium perperam afferre, & dummodo loquatur nullum habere diſcrimẽ, nec propoſiti, nec loci, nec perſonæ, nec temporis, & adeo quid garriat non animaduertere, quod non ſolum audientes faſtidit, ſed amicos & coniunctos qui præſentes adſunt ſuarum fatuitatum cauſa erubeſcere cogit, ad negocia autem parum aut nihil idoneus.

Præterea ſi Epatica non ſeruat trinam proportionem, & ſit interſecata a multis lineis vitæ breuitatem præſagit, & trinam

intelligimus proportionem, vt si habeat bonam positionem formam & colligantiam, vt iam aduertimus. De eius sorore scriptum aliquid cum non viderimus, hoc vnum supersomniasse satis erit, quod eius bonitas adauget principalis bonitatem, malitia vero reprimit, & vt supra alias narrauimus in capite secundo, quod de sorore naturalis & mensalis dictum quoq; volumus, de quibus iam & primo de naturali loquamur.

De linea media naturali.

CAP. VI.

Linea media naturalis seu cerebri manus, vel capitis grossa, & longa veniens vsque ad montem manus recta & continua, bonum ostendit intellectum, optimam cerebri complexioné (omne enim signũ repræsentat naturam sui signati) longitudinem vitæ, bene dispositum in suis operationibus, subtilem, ingeniosum, & astutum in negociis suis, quod si breuis sit, delicata, discontinua hominem notat mali ingenii, vitę breuis, rudem, instabilem, inconstantem in verbis, somnolentum, stultum, Saturninum, timidum, & auarum. Si vero cũ hac breuitate linea vitæ sit congrua cum suis circumstantiis, significat profugum viuere, & mori extra patriam.

Circulus in hac linea omen est homicidii,

dii,& numerus numerũ oſtentat. Sed cum duo ſint homicidiorum genera, ſine ſociis, & cum comitibus, ſomniant aliqui, vulgatam eſſe opinionem circulos imperfectos oſtendere ſatellites, ſed penitus orbiculares ſine externo auxilio talia perpetraturum: præterea circulum orbicularem deliberationem præcedentem, oblongum caſum purum (vt dicunt legiſtæ) & fortuitum demonſtrare. quod ſi reperiantur quidam ſemicirculi extenſi ſuper hanc lineam, inquit Almadal, quod indicant lites ob bona eccleſiaſtica, aut cum perſonis eccleſiaſticis.

Rurſus circulus ſub eadẽ promittit diuitias cum labore acquiſitas, repertus ſub medio inter mediam, & menſalem peregrinationes, labores, cauſa amoris, deuotionis, honoris, & vtilitatis oſtendit.

Si hæc linea terminat ex oppoſito medietatis medii homines valde iuuenes morituros portendi fabulantur & pręſertim ſi ibi plicetur.

Si extenditur in gyro, ita quod totum tranſeat montem manus vſque ad percuſſionem vel vltra, hominem longæuum admonet, inſaniamque naturalem, & infortunium, timidum, melãcholicumque, ſed egenũ in ſenectute. Si vero in fine ſui vertatur ad digitos arguit imprudentem, & nequam, & ſi multum vadat verſus ipſos

ſtultum: ſi autem vergat extendens ſe ad raſcettam cupidum & impurum: quod ſi ex altera parte plicetur, & tangat menſalem, maximum damnum portendit, & infortunium. Somniarunt aliqui, quod ſi extendatur per totam manum, & præcipue in inferiori verſus raſcettam, quod prædicit breuitatẽ vitæ, & ex capitis reumate infirmari, intercisſam vero in fine a parua linea in modum crucis ſacrilegia perpetrantem deſignare.

Hæc linea diſcontinua diuerſi coloris, contorta, indicat hominẽ prauũ, malitioſum, loquacem, doloſum, & furem. & quia furũ præcipue cognitio peradmodũ vtilis eſt, igitur iuuat hic in vniuerſum omnia colligẽtes indicia recenſere. Vnde qui tales ſunt natura habent oculos noctu lucentes, exiguos, albos, intus reconditos, valde mobiles, aures quoque valde paruas, timidi ſunt, & omnia occulte agunt, ſed & capillo videntur criſpo, fronte, capite, & facie macilenta & parua, collo gracili, vnguibus aduncis, digitis inæqualibus, aſpera voce & tenui, cruribus in externam partem ſituatis, frontem piloſam & faciem habent. aliquãdo hoc ſignum x & lineas valde obliquas in fronte in modum arcus, & maxime terminantes ſuper ſiniſtrum oculum e tempore in claui formam, ſic ⟵. Tranſuerſa quoq; breuis ſuper ocu-

per oculum ſiniſtrum ex frõtis cornu deſcendens, ſed & defectus linearum longarum naturalium fures deſcribit, ſicuti ſuper ſupercilia ſingulæ duæque in medio breues. Horũ motus inæqualis eſt admodum adeo vt ex oculis ferme euaneſcat, inceſſus aliquando lentus & cogitabundus, niſi quod accelerant, quando aliquid habent negocii manus cum corpore intereundum mouentes, in locum aliquẽ peruenti vniuerſa intentius, nec diu tamen luſtrant oculis exceptis pecuniis, præcipue cum numerantur, rebuſque pretioſis; quibus tantum, omiſsis ceteris licet pulchris delectantur, & oculis inhiant, ſæpiuſque tractant ſi commode poſſunt, & modo retinentes, modo commutantes, nunquam manus tenent vacuas, & inter tractandum multa nugantur perperam, alioquin ſilentio addicti, pectori pallium ſemper obtendunt, & cum habent ſplendide veſtiuntur, generaliter autem ſordide, ac tenuiter. Proprium eſt ipſorum cũ peregrinis ſe immiſcere, vel etiam taciti, & cum his incognitorum tecta, tanquam illorum ſocii ſubintrant, ſic vtrumq; fallendo, dominum domus qui amici ſociũ exiſtimat, amicum, qui familiarem domino arbitratur. Domum autem ſi detur occaſio libentius perambulant, atque vndequaq; diſcurrunt, dant operam ludis, con-

tiuiis, meretricibus, & ingratitudine cætera excedunt hominũ genera, adeo vt in adagium transierit; Fures solitos suspendere illos, per quos fuerint a furcis erepti. Sed iam ad naturalis somnia reuertamur.

Hæc linea nimis lata vel grossa imprudentem rudemque notat ingenium, subtilis & pallida imbecillitatem cerebri & temperamenti.

Duas lineas hanc inter pollicem & indicem in principio secãtes hoc modo matrem iratam sæpius & primo moriturã vaticinari fabulose commentantur. Vide quæso LOTHARI, quomodo pudore non ardeãt nostri chirosophi dum lineamenta filiorum in signa vitiorum & mortis parentum decernunt.

Diuisa naturalis circa medium ramumque habens reflexum versus mensalẽ breuitatem vitæ, discontinua & male apparẽs offensiones præsagit a quadrupe. Sed cur a quadrupede & non a bipede? an & bruta in hominum manibus, sicuti homines in cœli sideribus sua retinent a priori causa descripta mysteria?

Spacia huius formæ in hac linea tot ominari homicidia delirant, addentes quod si talia spacia non includantur ex toto, tot vulnera, sed non mortalia infligenda, homicidam quoq; malignum

& ini-

& iniquum deſignari tradunt, ſi naturalis fere menſali in angulum vniatur.

Si pallida fuerit cum punctis rubeis ad malum inducit, ſi vero puncta appareant nigra offuſcationem intellectus demonſtrant.

Qui caret iſta linea ſubito percuſſus morietur.

Biſida in fine hominem duas acturum vitas edocet, ſecularem & religioſam, itineraque ob deuotionem; at Almadal hypocritã detegere voluit, præſertim ſi ſubnigri appareat coloris: ſed & lineas frontis tale hominum genus obliquas habere ſolet, diuiſas & fœdas, ſuperciliaque in vnum coeuntia, inflexa, & quaſi inuicem cõtorta & craſſa, ſunt & vt plurimum macilenti, nigri, calui, obliqua ceruice, ſtrabli, recõditis oculis, & ſiccis, & cum maculis ſplendeſcẽtibus, quos ſi paululum vexes videas toruum intuentes. Nulla autem facilior eſt via ad ſcelera omnia detegenda, quę in exceſſu conſiſtunt, & præcipue hypocriſin, quam repente tales ad iram prouocare: tunc enim abſcondita prodeunt facinora, & nimia patientia compreſſa ſimulata pietas detegitur, præſertim cum adeo exarſerint, vt perſonæ quam expreſſerant obliuiſcantur: improbitas etenim ſubito erumpens inauditam euomit nequitiam. Nulla eſt autẽ capitalior iniuſtitia, quam

eorum qui cum maxime fallant, id tamen agunt, vt viri boni videantur. Hi ſunt hypocritæ, ex quorum genere eſſe dubitare non poteris, cum qui continentiam, integritatem, pietatem, humilitatem, probitatem, conſtantiam, quietem, iuſtitiam benignitatem prætenderint, illos ad iram faciles & tumultum inſpexeris, aut ſuadentem contraria profeſsioni, aut alia facientem, alia laudantem repereris. Sed & quicumque metas & modum humilitatis, comitatis, bonitatis, pietatis, & miſericordiæ excedunt, affectantes probitatis opinionem, & exigua peccata plus iuſto increpantes occulteque omnia agentes, omnes hoc vno detinẽtur crimine, prout hic nos aliquem inſigniorem habemus, de quo non eſt vt verbum faciamus, ſed Deus videt. Non ſolum autem ex naturalis bifida terminatione hypocriſis indicia decreuerunt chiroſophi, verumtamen ingenioſum, & imbecillitatem cerebri, phantaſticum inſanumque delineari commentus eſt Tricaſſus, ſi rami in ſemicirculos ſe reflectant.

Præterea quanto magis hæc linea ad inferiorem manus partem vergit, tanto celeriorem mortẽ portendi recitat Cocles.

Linea hæc ſtrictum angulum cum cardiaca efficiens cælati animi & boni conſilii ſignum eſt, non tangens in puncto prodi-

prodigalitatis ob vanam gloriam.

Si ab ista linea alia exeat versus digitum auricularem, verecundum indicat & hebetem, transiens per mensalem subtilis & æqualis virginitatem & castitatem in muliere promittit. Igitur admodum rarius debet hæc videri linea. Casta enim est quã nemo rogauit.

Rami in principio huius lineæ magni & curui ad inferius montem manus respicientes, hominem lunaticum & mendacem ostendunt, mulierem vero meretricem omnino; idem bifurcata, præcipue in fine. Narrant aliqui mulierem stomacho ieiuno lineas pallidas & graciles habentẽ, virginem promitti, rubore vero consperſas fractas, & latas, corruptam designari.

At capillaris in principio dixit Almadal fidelitatem indicat, & inimicis dominari, quod si capilli naturalis vertantur versus mensalem lunaticum, phantasticum, venereum: Tricassus addidit ebullitionem sanguinis, malignitatem, iniquitatemq;.

Quædam paruæ lineæ rubedine intinctæ venientes a manus concauo & naturalem per medium scidentes, falsariũ monetæ & sigilli arguunt, respiciendumq; illius exercitium.

Lineæ ab hac egredientes & angulum constipantes cum mensali futuram prognosticantur præbendam.

Linea recta & decenter colorata erumpens in huius principio & ad indicem se extollens, si ibi finiat, prænunciat multa bona fortuna aduersante in prima ætate, si ad medium vadat, in medio annorum cursu, si vero ad medicum vel ad auricularem in senio.

Lineæ ab hac nascentes & mensalem grossæ ingredientes in manu mulieris tot partus manifestat.

Semitriangulus cadens supra istam circa medium bona pollicetur ecclesiastica.

Linea naturalis coniuncta cardiacæ in angulo supremo profunda & fortis, fortunatam militiam prænoscit, alibi hominem fidelem, & sani consilii, secretumq; & taciturnum ostendere legimus. Taciturnitas autem a Tricasso dupliciter somniatur, quoniam si cum ipsa concurrant oris breuitas, labiorum eminentia, superciliorum coniunctio, in qualibet personarum condicione, infidelitatem proditionemque indici, ab istisque omnino cauendum credidit: quod si frons patula, facies hilaris, oculi grandiores, & labra decentia adsint, arcanum fidele designari.

Linea proueniens ab ista naturali ex opposito medii ad ipsum tendens, vel versus auricularem, reuerendum, virtuosum, & ratione plenum significat.

Talis

Talis figura ⊙ euidentius prope naturalem apparens, periclitaturum a feris, obſcura interficiendum minatur.

Duæ paruæ lineæ in fine naturalis coniunctæ vulnera ex ferro præſagiunt. Si crux adſit ex oppoſito anularis, vel auricularis mortem infra annum, in directo medii apparẽs infirmitatem ſaltem mortalem. Hoc idem ſi linea hæc ſecans habet in capite aliam paruam crucem: violentam enim mortem indicit, & miſerabilem ſi a vitali proficiſcatur.

Si hęc linea multas habeat lineas ſibi infixas concubitus notat, cum multis mulieribus, & ſi multitudo ibi adſit crucium oblongarum multas illarum decipiẽdas, & ſi fractæ ſint, pro numero fractionum fidem frangendam, idem ſignant contra viros in manu feminea repertæ.

Lineæ contortæ ſecantes naturalem & longæ aliquantulum a triangulo in quadrangulum, portendunt tot graues infirmitates.

Linea egrediens a naturali in quadrangulum tendens, parua, & in capite in crucem ſecata a quadam alia, votum oſtendere ſomniant, & iter huius cauſa, & numerum pro numero.

Naturalis nõ exiens manus concauum, auaritiam, timiditatem, & irrationalita-

tem, furtum, improbamque vitam detegit.

Soror naturalis apparens hereditatem pollicetur. Hæc de naturali dicta ſint. Cuius deliria cum alias tetigerimus, ſæpius repetere noluimus: ſatis enim eſt recte intuentibus ſemel particularium vanitates reieciſſe, licet eædem in diuerſis occurrãt locis. Vltima principalium quatuor menſalis reliqua eſt, de qua proxima erit confabulatio.

De menſali. CAP. VII.

Linea menſalis ad ſtomachi ſimilitudinem cõſonantiam habet cum toto corpore, adeo quod cum ipſo om̃nes effectus bonos maloſque communicat, ſicuti paſſio vtputa pollicis ob aliquod vulnus paſſionem quoque cæteris impartitur membris. Iſta linea ſi continua reperiatur & decenti colore perfuſa virtutem in membris generatiuis, iuſtitiam, bonos mores, perſeuerantiamq; in bonis innuit operibus, ſi vero male colorata, capillaris, diſcontinua, & ſemicircularis, & demum ſine trina proportione, imbecillitatem innati caloris, & breuitatem vitæ minatur.

Et eſt notandum quod per hanc quantitas & qualitas dignoſcitur ęgritudinum, ſi fabulis & fatuitatibus fides adhibenda eſt. Igitur hæc linea ad indicem vel medium

lium directe aut in vniuerſum inter duos digitos protentenſa fluxus vẽtris denunciat, alii vulnera ſomniant lethalia, pręſertim ſi in crucem deſinat, & groſsities vulnus in capite, ſubtilitas in parte inferiori, rubedo in pectore diſtinguit: hoc idem indicare tradunt menſalis extẽſionem ad naturalem. Vlterius ſi ad indicis radicem ſine ramis proficiſcatur, præter indicium vulnerum infortunatum quoque hominẽ, & ſine diuitiis vaticinari Almadal ſcribit; addit Geber ſi digitum ingrediatur anxietates continuas & ſolicitudines demonſtrare, at Tricaſſus virum probum, & dignũ omni honore, quod Cocles voluit, ſi menſalis vel alia linea exiens in fine eius digitum medium directe ſciderit, audaciamque adiunxit.

Si elongatur vltra indicis medietatem, crudelitatem ſignat & magnitudinem irę, præſertim accedẽte rubore: quod ſi habet ramos tendentes verſus indicẽ, indicium eſt exaltationis & honoris.

Si reſpiciat digitum mediũ a latere indicis auxilium a fortuna pollicetur. Licet adulatorem eſſe aliquando oporteat, & vnico tantum vti amico, a propinquis tamen læſionem expectandam.

Terminans inter indicem & medium cum Saturnina in finę adhærẽs periculum

in partu, & mamillarum præſagit infirmitates.

Duos habens ramos alterum ad indicis vel prope, alterum acutum ad medii radicem edocet ingenium aptum ad acquirendam rerum copiam, ſimulatorem tamen, & quo magis in apice tenuis fuerit, tanto magis habens arguitur peſſimus, efficiens autem duos ramos alterum in medio montis indicis, alium ad vitalem, longam deſpondet vitam eccleſiaſticamque, & multa ex clericatu bona. Idem quo ad lõgitudinem vitæ animaduertunt dentes magni & ſpiſsi. Si tres efficiat ramos, vnum inter minimum & medicum, alium inter medicum, & mediũ, tertium inter medium & indicem, hominem litigioſum declarat, & ſi adſit coloris bonitas augetur effectus, ſicuti a palliditate minuitur.

Menſalis diſcontinua deficiente epatica vel male apparente, ſeu admodum in principio, capillari vel pluribus formata lineis malam complexionem, impotentiamque filios generandi niſi ſit ſanguineus præuidet, & in muliere prægnante indiſpoſitiones denunciat. Semicircularis vero breuitatem vitæ ſicuti in principio retulimus.

Diuiſa prope finẽ & ſic veniens diametraliter ad radicem indicis notat inimi-
cum

um mulieribus, amantemque pueros, & amet feminã, amor erit lubricus, & cum a vtetur venere retrograda, idem foſsicu-æ, vt infra.

Bifurcata verſus indicem & pollicem ſi-num eſt vitæ laborioſæ, ſi verſus indicem c medium hypocriſis, addit Philemon in-delitatis & vanitatis. quod ſi rami exten-antur tantum per indicis montem, labo-es, anxietates grauiores, pro ratione ex-enſionis. Bifurcata vero in muliere in ſu-eriori parte meretricem arguit eſſe vel ore.

Menſalis coniuncta cum naturali & car-liaca, ita quod iſtæ tres faciant triangulũ num, periculum cum tremore horren-lum portendit, ita quod vitæ pœniten-iam inducit.

Linea a menſali ad indicem aſcendens, coniunctaque in angulum acutum prope radicem cum alia veniente ab angulo ſu-premo mortem ſubitam prædicit, & tan-to certiorem, quanto angulus reperiatur acutior.

Menſalis circa finem a duabus lineo-lis profundis interciſa in angulos rectos mortem violentam oſtentat ſicuti duæ li-neæ ab hac ad indicem aſcendentes.

Si iungatur vitali cum ea angulum con-ſtituens, ibique non ſit media naturalis improuiſam decapitationem ominatur,

aut ob vulnera mortem, angulũ vero cum naturali constituens, breuem prognosticatur vitam, sicuti etiam rari dentes, minutique, moriturum denique in itinere talis figura Y.

Quando habet grossas crepaturas inordinatasque venerem masculam & manualem arguit, præsertim si sit intensi coloris & in vniuersum vt ait Geber feruentem & nephariam libidinem.

Si sit profunda & continua, & in ipsa appareant puncta aliquantulum rubea, continentiam demonstrat. At Tricassus puncta rubea, grossa & inordinata in principio infirmitates testiculis præscribere voluit. Iohannes ab Indagine podagras & chiragras somniauit: nisi sint pallida, quia tunc etiam ipse genitalium indispositiones commentus est. Quis vero insanius deliret, elige tu LOTHARI ingeniosissime.

Mensalis extensa in palma recte sub indice cum profunditate & decenti colore, signum est dilectionis secretarum & religiosarum personarum.

Fouea in hac ex opposito medii cum rimulis quibusdam itinera indicat anxia, at ex opposito anularis, siue vt inquit Almadal, auricularis hominem vel mulierem detegit amantem religiosos, vel rem cum eis

is licet affinibus si sit multiplex haben-
em, vel cum pueris literatis, eosque viola-
e cynædumque esse: quamquam Tricas-
us sub auriculari renũ dolores, & in mu-
iere paßiones matricis somniauit, qui a-
ibi credidit, quod ramus a mensali circa
inem per obliquũ ad indicem ascendens,
puerorum vel mulierũ ad vsum puerilem
amatorẽ indicet, nisi in ramo adsint pun-
cta rubea, quia tunc continentiam ima-
ginauit. quo quid stultius, cum imo rube-
do potius de more chirosophico feruorẽ
venereum præsignare deberet? at me her-
cule tam Almadal, quam Tricassus cõtra-
ria asserentes deridendi sunt.

Linea cadens a mensali sub digito auri-
culari in montem manus perpendiculari-
ter, signum est patrem vel consanguineos
interfectoris.

Si a mensali vna linea se extendat inter
medium & medicum, labores & angustias
manifestat, & ipsius grosities auget effe-
ctum, subtilitas minuit, quod si pluribus
lineis intercisa, cum requie.

Lineas venientes a dorso manus inter
hanc, & auricularem, vt alias etiam in mõ-
te manus meminimus, quot sunt, tot
spondere nuptias scribunt nonnulli, si re-
ctæ appareãt, futuras, si obliquæ, præteri-
tas, easdẽ vero in eodẽ situ sed sub mensali
repertas tot inimicos præuidere, si se sic X

coniunxerint præſentiales, ſi acutæ ſint mortiferos.

Menſalis ſi a radice ſic ╫ vel ſic X incœperit amiciſsimos ſecũdum quantitatem ſui deſignat: quod ſi habeat quaſdam paruas lineas iuxta radicem infirmitates præſagit in pueritia, ſi iuxta medium, in adoleſcentia vel iuuentute.

Linea oriens a menſali & ſe extendens ad auricularis radicem obliqua & groſſa, in muliere arguit luxuriam & corruptionem, recta & ſubtilis & decenter colorata virginitatem, ſeu caſtitatem, præſertim ſi mons auricularis ſit purus & bene coloratus, vbi hæc eadem ſi meminiſti ad verbum narrauimus. Sed & fidelem virum, ſecretum, & boni conſilii ſubtilis indicat.

Menſalis obſeſſa a duobus vel ab vno ſemicirculo in dorſo, & connexa auriculari tuberculo infirmitates genitalibus membris indicit: ſi pallida imbecillitatẽ tantum teſticulorum demõſtrat, in principio ramoſa & obtuſa, & præcipue ſi forma ſphærica vel ſemicircularis cum ea reperiatur, ægritudinem, vt ſupra, deſignat. hoc idem foſsiculæ exiguæ in ipſa exiſtẽtes in diametro auricularis vt proxime tetigimus, ſed & venerem maſculam. Tricaſſus inquit, ſi in principio menſalis ſub auricu-

auriculari reperiatur aliquis circulus valde oblongus vt ⟵⊃— teſtificat libidines, amores, vel ſaltem cogitationes venereas cum conſanguineis, vel etiam ſpiritualibus affinibus, & in quacunque inuentus linea talia prædicere ſomniatur, proque apparentia & forma ad effectus accedere, vt male formatus cogitationes, rectius apparens amores: perfecta figura coitus arguit, præſertim ſi in pluribus videatur lineis, & de hoc ſigno tantum gerrit iſte auctor, quod piget referre nedum refellere. Vnum addamus ſcilicet lineam ſemicircularem aſcēdentem a menſali ad medium carceres decernere.

Grana pallida cum virgulis pallidis aut rubeis ex ipſis oriētibus, virum paſſurum in veſica, mulierem in matrice, & in vniuerſum diſperſa & profunda podagram pronunciant.

Plures lineæ in menſali extendentes ſe ad radicē medii, labores, anguſtias & carceres denunciant, & ſi ſint quaſi nigræ tormenta, quod ſi veniant a concauitate manus, & ſecantes menſalem tendant ad vltimam medii iuncturam, ducem vel regem in vinculis periturum argumentantur, alias hæc eadem riſimus, quæ ſæpius in locis diuerſis aliquando replicantur, vt facilius & celerius ad iſta accedentibus nugamenta ſeſe offerant.

Menſalis in mulieribus fracta, punctuata, imbecillis, capillariſque cum ſemicirculis partus abortiuos auſpicatur. Scindens vero indicis montem magnum vuluæ capacitatem arguit, quod palmæ latitudinem longitudinemque referre in capite de palma ſuperius diximus, quamquam in homine non deſint qui velint indicare crudelitatem, inuidiam, detractionem, proditionem, ſuperbiam, ſi tamen ſit profundior in fine & ſine ramis, idem ſubtilis quo ad inuidiam, & præterea vulnera, oppreſsionemque præſentit, ſed & iram feruentem demonſtrat. Diſcernuntur inſuper iracundi quibus lineæ veluti ſagittæ in frontis medio & ſupra dextrum oculum apparent, nares quoque hiantes habēt, naſum acutum, ſtaturam magnam cum habitu macilento, & colore flammeo, oculos rubicundos, & venas in collo tumidas, & manifeſtas, vocem a graui inceptam, in acutum deſinētem, licet quoque vox acuta ſi vehemens ſit, iracundiæ ſignum exiſtat, ſicuti & tremens quamquam timorem aliquando referat. tremor enim qualiſcumque alterius duorum affectuum iræ ſcilicet & timiditatis coniectura eſt, veluti etiam coloris commutatio, ſed & labium inferius tremens, & blæſa vox & varius color, vel nigricans, vel ſubruffus, & præceps inceſſus, & re-

ctitudo

ctitudo corporis figura bene lati, & animositas, & scapularum magna lataque distantia, extremorum fortis magnitudo, concinnitas barbæ, capillorum ambitus floridus deorsum tendens, pectus hispidum, & rubeum valde, venæ latæ, paruitas etiam corporis, & niger & crispus capillus, iracundam dispositionem significant, & nigram iram quæ omnium perniciosissima est, cuius affectus signa cum alias in capite de vnguibus tradiderimus, non est cur circa eadem sæpius tempus conteramus. Igitur de mensali & cæteris lineis principalibus, earumque sororibus, vsque huc satis sit delirasse, vnum adiiciendo, sororem mensalis apparentem, maleficam naturam, bene conditionatum manstrupratorem manifestare. Iam tres minus notabiles, lineam solarem, viam lacteam, & cingulum veneris citius expediamus, sic vltimam nugis manum tandem imponentes.

De linea solari. CAP. VIII.

Post quatuor lineas principales, & earum, vt appellant, sorores, de linea solari, via lactea, & veneris cingulo cum dicere promiserimus fidem ad vnguem seruando, quidquid super his nunc nobis obuiam venit proferamus, primum aliquas lineas de solari linea conscribentes. Circa

quam tenendum eſt memoriæ, quod diuerſis, vt in primo retulimus libro, a chiroſophis inſignitur nominibus, quoniam non ſolum ſolaris, verum & linea principum, linea proſperitatis, magiſterii, ingenii, regalis, famæ, honoris, & linea deniq; lucri ſolet appellari. Hæc ſi reperiatur infortunata, dignitatum & diuitiarum priuationem & certamen ratione principum indicat, ſed ſi felix ſit & a menſali oriens ad anularis radicem ſe dirigat, honores diuitiaſque pollicetur, & optimi indicium eſt ingenii, cuius effectibus impedimentum tribuit omnis linearum interſecatio pro qualitate ſecationis: Verumtamen ſi lineæ interſecantes deſcendant a monte Saturni impedimentum ob paupertatem diſtinguunt, a monte Mercuriali ob varias occupationes & ſcelera, ſed & curioſitatem, & impatientiam, & inuidiam, & ambitionem tales interſecationes prædicere ſomniarunt, pro quorum faciliori cognitione, etſi paulo longius, nō tamen extra propoſitam rationē nonnulla adiicienda ſunt. ſummo etenim deſiderio afficimur LOTHARI, vt ſimiles hominum diſpoſitiones prima facie introſpicias, poſtquam tibi in aulicis principum familiis dies noctesque trahenti, non parum vtilitatis hanc notitiam allaturam intelligimus, vtpote quæ quatuor aulicorum

elementa

elementa respiciat, quorum primum hoc est curiositatem præter solaris intersecationes prædictas, indicat quoque facies parua & oculi, & quæ circa collum & scapulas macilenta articulique soluti, lineæque multæ & tenues inter supercilia. Curiosorum autem genus timidum est, quod facile est si quis agnoscat fallere. Natura vero cum sederint, aut cum non loquantur, diligenter vniuersa circumspiciunt, taciturni sunt, & tuis blandiuntur, & obliquas semper faciunt interrogationes, ad singulaque responsa videntur admirari. At impatiens dignoscitur, quod cum morari in vno loco diu cogitur, quiescere nō potest, modo manus, modo caput, modo pedes mouet, raroque diu in eodem statu permanet, quoniam si expectare necesse habet, deambulat, inter eundum crura iactans, nec eadem via, sed diuersas in partes translatus omnia lustrat domus diuerticula, suspirat, gemit, æstuat, caput fricat, pileum capiti sæpius detrahit imponitque, semper aliquid sub dentibus, quod conterat habens. Huic vt plurimum facies parua, macilentus habitus, pilosus, gracilis, subnigerque, nasus in apice acutus, lineæ breues, tenues supra oculum sinistrum, vel etiam in superciliorum medio. Verum inuidorum genus difficilius deprehenditur. proprium enim eius stu-

dium est latere, quapropter vna non semper omnium etiam inuidentissimorum. At ego illi non inuideo. adagiumque circumfertur, Sine inuidia. turpissimũ enim habetur fateri se inuidere, siquidẽ in ipsa culpæ confessione pœna est, quapropter verissime Horatius.

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Adeo quod cum omne facinorosorũ genus, si non de flagitio, saltem de criminis vsu soleãt se iactare, vt veneri dediti de iuuenibus, aut coniugibus alienis quas possederint, iracundi de vindicta, auari de parsimonia acquisitis, ambitiosi etiam de iniuria illata. Inuidos nec de crimine, nec de his quæ ex criminis fructu proueniunt nunquam gloriari comperies. Apparet autem commune fere malum inuidia. quę non plebeios & humiliores, sed & regales & potentiores corrumpit animos: nam & Alexander Achilli Homerum inuidit, teste etiam Petrarcha, & Vlysses ac Diomedes adeo Palamedi inuiderunt, vt certum sit eorum opera interfectum, incertum an sciente Agamemenone. Inuidentissimum autem genus rustici, atque vniuersi qui dolosis incumbunt artibus, vt mimi, sycophantæ, circulatores, & qui ex superstitione viuunt. Sed & Aulici vt diximus cunctos æquant, quia vnius lucrum est alteri

alteri impedimẽto, & cum lucro ipſo domini gratia, exiſtimatioque coniuncta eſt: inuidorum vero ſigna apparent cum aliquem extolli intelligunt aliqua cum ipſis conuenientem ratione, aut ſubito diſcedunt, aut alio ſermonem trahere ſtudent, aut cachinnantur, aut impugnãt, nõnulli linguam penitus cohibent, ſed contra habent faciem, alii rem ipſam quæ palam eſt minuunt, ſi amici vitium aut infortunium narratur, ſupra modum illius vicem dolere ſimulant, requiruntque veluti non intellexerint ad vnguem denuo hiſtoriam recenſeri, & præ aliis vidẽtur commiſereri. præterea in nullos ſunt benefici, cumque alienigenis & inæqualibus libentius vitam degunt, & ſuas occultantes, alienas diligentius indagant actiones, ſeditiones ſerunt, homines præcipitant, & ad aliena infortunia ſubhilarant frontem, tanquam marmoreos lapides ad audiendum ſe accommodantes, omnes inſuper in occurſu in faciem ſemper ſubridẽt, ipſam in morem puerorum aliquid optantium componentes: horum facies parua eſt, plana & macilenta: quia vt inquit Iacobus Sannazarus:

L'Inuidia figliol mio ſe ſteſſa macera,
E ſi dilegua come Agnel per faſcino,
Che non li gioua ombra di Pino ò d'Acera.

Acies oculorum intenta, color vtplurimũ pallidus, lineæ exiguæ in altiore frontis parte, atq; directæ, vnica autem transuersa, atque profundior, multæque inter supercilia sed obliquæ: sed & litera d quasi supina & inferius hians super dextro oculo altius apparens, & figura C ob inuidiam multa passurum demonstrant. Est autem inuidus humilis abiectique animi, quatenus inuidet, quatenus putat sibi deberi, excelsi. Reliquum est vt ambitiosum circumscribentes primis oculis manifestum exponamus: quamquam non admodum difficilis est eius deprehensio, siquidem & re, & aspectu, & verbis seipsum prodit. Re quidem dum primos semper in cœnis tenere recubitus, & vbique generaliter in cœtibus, sodalitiis, conuentibus, prima loca, dignioraque etiam præter rationem occupare comperitur, quæ si aliquis forte eripiat, aut nullam habere curam ostendit, aut subito discedit. sed & primas appetit in foro salutationes, salutatque potentiores, æquales vero solus vel clam: inferioribus in hominum cœtibus vix annuit, humanitatem multoties cõfingens, plebeios non dedignatur ante salutare, sed cum contemptu quodam, & irrisione, indignans nõ esse prius ab illis salutatum, inque his modum excedens, semper aut aspernatur, aut officiosius resalutat, con-

centus,

centus, risus, tripudia, saltationes nisi peragantur in domibus suis, negligit, & abominatur, interim popularis auræ auidissimus obseruator captatorque: eius consuetudo libentius est cum humilioribus, quam cum ęqualibus: quia cum infirmiores cedant illi facillime, quandoque recusant æquales. Quo vero ad aspectum attinet, tristem vultum præ se fert & tacitus manet, donec occasio illi detur, & ad venustatem omni studio se componit, vestibus ornatus & comptus, famulos & equos omnia iuxta eandem rationem habet, in sermonibus vbi se ab auditoribus obseruari animaduertit, tunc tanquam Deus ab omni ambitionis suspicione immunem se præstat, adeo vt ea vacantes labe, humanitate superare videatur. Præterea in verborum vsu cõsuetudinem habet seruos seorsim leniter obiurgare, nunquam coram aliis, suosque & sua omnia mira industria extollere, & cum datur occasio verba faciendi nunquam terminum inuenit. sicuti enim sibiipsi aures præbet, sic cęteris placere arbitratur: submissa voce loquitur, nisi aliquis dicta impugnet. at vbi sermo interrumpitur, vel sit illi cõtradictum, adeo feruenti incandescit ira, & acriter digladiatur, vt crederes de capitis periculo agi, vera tamen loquitur

cum æqualibus, & vbi poteſt res detegi, cum cæteris: ſi depræhenſionem non veretur infinita mentitur, deque rebus maximis, quæ ſibi præter ſpem obuenerunt, de principum familiaritate, & cum ipſis congreſſu, itinere, ſermone, actione, conuiuiis initis, dono habitis, ab eiſque diuerſimode acceptis gratiis, fauoribus, deque accidentibus, in quibus ſtudio fortunam euicit, libentius profuſum orditur ſermonem, atque eadem ſæpius perfracta fronte repetit: dumque eandem canit cantilenam rebus vtplurimum parum cognitis, nihilq; ad propoſitam auditorum rationem ſpectantibus, caput cicadarum inſtar vndiq; obtundit, inter loquendum tamẽ ſemper decorum & exiſtimationem retinens, contradicens quoque in ſermonibus meliorem ſemper eligit partem, ſeque in his mirabiliter præfert. Sunt autem in vniuerſum tria genera ambitioſorum, doloſum, & hoc malum: virtute præditũ quod laudis expers nõ eſt, & mediũ quod ob relictas opes, & maiorum gloriam ſe iactat. Primum enixe vitandum: alterum maxime expetendũ. Tertium ſicuti priori melius, ita ſecundo deterius. Conſiſtit autem ambitio in honore & amore: igitur ob exiſtimationem magiſtratus, & dignitates ante alios ſibi ambitioſus cenſet deberi,

beri, ornarique eiſdem inhiat, nullis parcens ob hæc ſudoribus, laboribus, & ſeruitutibus: vt autem amorem retineat comitate & omni blanditiarum genere vtitur, vniuerſos tamen ſecum contemnens. Ambitioſi pręcipue ſunt ignobiles, cum a fortuna ad ſplendidum ſtatum euehuntur, quorum Roma vetus, & noua frequentiſſimum & quotidianum eſt exemplum & fons, deinde imperiti cum populum deceperint. Poſtremum improbi cum ſanctitatis nomen falſo occupauerint, vel quãdo cum pelle agni luſum interiorem latenter induerint, hi vero peſsimi & pernicioſiſsimi; omnes autem contrarios ad internecionem oderunt, ſcilicet ignobiles, nobiles: imperiti ſapientes, & improbi probos, timentes ne ab his eorum fucus & falaciæ detegantur. Sed inter mortales ambitioſiſsímus Alexander Magnus habitus, Ariſtotelesque qui philoſophorum anteriorum omnes prius defloratus vel ſuffuratus labores reliqua cõburi curaſſe creditur: animalium vero aquila & leo. Eſt autem ambitioſis vtplurimũ facies quadrata, nõ valde oſſea, amplũ caput & thorax, & os, ſuperior mandibula non multũ eminens, frons quadrata, in medio caua, ſupercilia magna, naſus craſsiunculus, oculi concaui, & caropi, crura graciliora &

neruoſa, in fronte lineæ naturales pulchræ, gradiuntur autem lentis paſsibus, & collum firmum in ambulando tenentes, ſpatulas mouent. Sed iam calamus videtur de propoſita manus ratione cecidiſſe, ideo ad diuerticulum redeuntes viam lacteam ingrediamur. quod ſi de ambitioſis plura fortaſſe deſideras, Merlinum quæſo legas in XII Macaron: qui ſub groſsiori verborum cortice, nihil fere intactum de iſtorum natura prætermiſit. nos autem carmina ipſius hic tranſcribere omiſimus, nō quia nimis delicatuli Macaroneam (opus omnigena refertum doctrina) abominemur, nam & cum admiratione aliquando legimus, ſed ne te profuſiori faſtidiremus oratione.

De via lactea. CAP. IX.

Igitur via lactea a cardiaca incipiens, ſi vſque ad auricularem digitum vel prope extēdatur, & ſit quaſi flexa, vulnera in coxis portendi ſomniauit cum Petro Apponenſi Albertus Magnus. Hæc homines delicatæ naturę demonſtrat, & capitali connexa bonum cerebri temperamentum, & mentis agilitatem: quod ſi intra, vel infra triangulum dimiſerit ſtupidum ſtultumque prodere Antiochus voluit. Habet quoque ſtupidus labium vtrumque

craſſum

crassum, & superius inferiori prominens, ad asinos enim refertur: sed & obliuiosus est, affectusque leuioris in omnib. rebus, ira etiam leui & fluxa, absurdis sententiis, eiusdem conuersatio libentius cum feminis puerisque, facile decipitur, mirabilia obloquitur, vniuersis fidem adhibés, vix vnquam peruenit ad prudentiæ limites: magnam cum ineptis & fatuis habet sympathiam, nisi quod fatui garruli sunt, & extra rem plura nugantur, risu abundantiores. Præterea stultorum cum infinitus sit numerus, innumera quoque traduntur signa; Stultitia autem est duplex, præsens & futura. Omne immoderatum, omne importunum, omne insolitum præsentem arguit: Futuræ indicia faciunt faciei amplitudo, rotunditas frontis, aures magnæ & a capite diuulsæ, supercilia in medio inuicem distantia, & multum versus aures ad tempora procedentia, oculi tumidi, prolabentes, & vinosi coloris, collum breue, crassum, pectus non ante, sed a lateribus prominens, claues ad iugulũ positæ, venter prominẽs, barbę defectus etiam ætate prouecta, vniuersus habitus pinguis & cãdidus aut macilentus, & admodum niger, aspectus versatilis, & extrema omnia quasi imperfecta. flagrant autem rerum studio & auidi-

tate, repleti inani ſpe, ira, triſtitia, metuque abſque ratione cognita, & diuturnis anxii vigiliis. Vlterius viam lacteam repertam in manu mulieris meretricem detegere Almadal confinxit, in manu virili continuam & proportionatam cynædum, gaudiaque luxuriȩ cauſa. Sed ſi oriatur a raſcetta vel cardiaca & cum naturali cõnexa extendat ſe ad digitũ minimũ, lõgitudinẽ vitæ pollicetur. Omnis autẽ interruptio damnũ indicat ſæpius mulierũ cauſa iactantiamq;. Hæc fabulatur Iohannes ab Indagine, videlicet, via lactea recta, pura bonitatem cerebri, longam vitã, liberalitatem, honores, pulchrum & placidum ſermonem, & mulierum gratiam demonſtrat. Interſecata in fine a pluribus lineis vel ab vna hominẽ inſtabilem, & propter mulieres damna paſſurũ, carcereſq; & ſimilia prædicit, proque numero ramorum vergẽtium verſus percuſsionem, tot inimicos vel riuales, non deſunt qui vanitatem, timiditatem, inertiam & voracitatem & inconſtantiam ex hoc ſigno coniiciant: pro quorum omniũ faciliori cognitione referendum eſt, quod vanorũ caput vt plurimũ anguloſum apparet, frons ampla, & circularis licet aliquando exigua & ſtricta, idem faciat indicium, ſed imperfectiorem notat vanitatem, cuius proprium eſt cir-

est circa oculum sinistrum multa habere & incondita. talium natura multa & spontanea & falsa abundat loquacitate, rationibus & argumentis cōstantissime referta, ita quod dictis fides adhibeatur, propter quod multa fingit commēta, & si nō mouearis, tandē ad incredibilia transit: quidam quasi serio agant, grauitatem quandam præ se ferunt, alii subrident, & in vniuersum horum omnes actiones leues vanaq; indicia. Timidos ostēdit vt alias diximus mollities pilorū, corporis inclinatio, extrema corporis imbecilla & parua, similiter & lumbi: & quæ sunt sub vmbilico sursum tracta, longitudo & gracilitas manuum, oculorum cum imbecillitate mobilitas, ipse quoque mobilis & sollicitus, color pallidus ac quasi turbatus, candidus etiam, purus ac niger, frons quoque quasi cornuta & crura debilia, & longiora veluti ceruis: Timidorum cognitio vtilis, quoniam si in ipsos beneficium conferas operam perdis, vbi tibi vltio, vel defensio necessaria est. hi enim si non aufugiunt sequuntur a longe adeo vt nihil possint. At inertium natura talis describitur; tardo incedunt pede omnia negligentes, implicita actionum multitudine continuo occupati a nulla vnquam explicantur, in vniuersum ocio consecrati difficillime

vlla re afficiuntur mouenturue, non minus in loquendo lenti, quam in edendo occasionem omnem quærunt vt nihil agant, quapropter facile petentibus omnia annuunt, cum tamen re nullam præstent operam. His vtplurimum facies & frons ampla sed & circularis, in qua nullæ conspiciuntur lineæ, aut raræ & debiles, aut profundiores in superiori parte, palpebræ oculorum superiores deciduæ, color melleus, licet aliquando candidus per vniuersum corpus, statura procera & crassa, & vestes semper sordidæ obsoletæque, nisi in aliorum sint cura. Voracibus maior comperitur distantia ab ensiformi furcula ad vmbilicum quam ad iugulum: facies est pinguis, oculi ebriosis rubei, & tumidi, tumidæque palpebræ, cum tota facie rubenti obscuro colore, qui semper ad vini commemorationem exhilarantur. Lineas habent coloratas parum supra supercilia in medio, quæ per transuersum positæ vtplurimum apparent. Horum sermo frequens de cibis & prandiis, occasionem semper quærentium vt diuitibus se implicent, in quorum amicitiam libenter & facillime se insinuant, officiosos se exhibent, & præcipue in rebus vilioribus. Horis cœnæ & prandii muscarum instar circumuolitantes tandem tibi adhæ-

adhærent, iurgia & contumelias domesticorum facillime deglutiunt.

Postremum inconstantium notæ sunt, frons angustior, aut amplior, atque rotundior, oculus admodum mobilis paruusque, hirtum pectus, venter totus ac humeri, multitudoque linearum gracilium iuxta oculum sinistrum intra supercilia. Horum si mores spectes facillima est cognitio. multam enim deprehendes varietatem in studiis, in vestibus, in vocis tono, in familiaritatibus & in incessu, si cui scabello, vt sedeant appropinquant, vniuersa prius circumlustrant oculis, & apprehensa sede tandem sedent nihilominus alio circumspicientes, seque huc & illuc, quasi obliti quid agant, circumuergentes, nec sedili tamen interim nec manibus vnquam quiescunt: quis autem sudor, & quis labor si pudore in in eodem aliquando perstant situ, non est vt recenseamus, adeo semper inconstans

Quod petiit, spernit, repetit quod nuper omisit,
Aestuat, & vitæ disconuenit ordine toto,
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Sed de via lactea egressi, non est amplius in ipsam ingrediendi animus, igitur in veneris cingulū pedem referamus, in quo sermo noster iuxta propositam

libri rationem obstrictus cõquiescet, tanquam viribus ad vlteriora procedendi destitutus.

De cingulo Veneris.

CAP. X.

Postrema ergo nobis reliqua est de Veneris cingulo consideratio ignorantibus; cum infamia, inhonestaque præ se ferat indicia, qua ratione a chirosophis antiquis bonorum linea appelletur. Hunc si rubeum comperias arguere libidinis impatientiã, & circa omne lasciuiæ genus solicitudinem poteris pronunciare, in manibus mulierum prodere meretricium, sicuti hilaritatem vultus, nimiam oculorum mobilitatem, scintillantemq; claritatem, incessumque ceruinum (quę cynædi quoque sunt signa) & cum alto gemitu suspiria crebra. Distinguunt alii quod si in manu mulieris appareat, in ipsis luxuriam masculam innuere cum natura ad agendum sint impotentes, licet alias ad exemplum Sapphus etiã ad actionem iudicium fieri posse comperimus. Iste cingulus si habet aliam lineam fere parallelam, manstupratorem, stuprumque cum feris peragentem portendit, secundum Philæmonis opinionem. In ambabus inuentus mani-

manibus rubeus & continuus, cum proprijs vel alienis matribus coitum complentem prodit, præsertim si quædam puncturæ vel orbiculi ibi extiterint: sed & testificare damna ob libidines, insipientiam, instabilitatem, vaniloquentiam, naturam rudem & brutam, alii rusticam & petulantem, nec non ostentationem, vecordiam, impudentiam, improbitatem, commenti sunt. De rusticis autem talia circumferuntur, videlicet illos nemini fidem adhibere, nec credere, nec in re magna operam præstare, deliciarum, omnisque ioci, hilaritatis, decoris, suauitatis morum, & sermonis culti, & musicæ & studiorum liberaliorum contemptores, vilioribus deditos, nihil quod ad lucrũ faciat omittere, vtilitate vniuersa ponderantes, iram vbi excanduerint, difficillime remittere, de excelsis nullam capere admirationem, nec ad illa quidem respicere, neque verba facere, superstitioni addictos esse, futurorum ad ipsos tantum spectantium anxios, & affectibus parum moueri. Frons illis vt plurimum caperata, obscura, in qua sicuti venæ nusquam apparent, ita linearum paucitas & longitudo conspicitur, facies oblonga, lentusque gradus. Præterea petulantia contagium est

adoleſcentibus, præcipue diuitibus familiare, qua nihil bonis infeſtius, aut cognitis moleſtius poteſt reperiri: ſiquidem & parum notos plerumque prouocat, & omnes irridet, præſertim ſodalibus inuiſos, nec non & infelices, & iudicio ſuperatos, quos tanquam victores ignorantiam facti confingens ſalutat, & vt plenius in miſeros riſum poſsit mouere, in potentiorum familiaritatem ſe inſinuat, rectam itineris viam petentibus ſemper mentitur, ipſorum irridens terga, mutuum commodatumque libentius accipit, & omnia faſtidiens omnibus moleſtiam infert, liberalitatis expers in ipſius extrema perpetuo prolabitur, huic alta & incondita vociferatio, labium ſuperius quaſi inuerſum, ſpecie pronus & rubicundus apparet: rubræque quoque lineæ in fronte circa medium, optima conſtitutio, facies circularis, carnoſum crus, ſtatura breuis, hilariſque conſpectus.

Oſtentatorem vero rectius deprehendes, ſi cum cingulo veneris vt diximus, concurrat quoque oculorum paruitas, albedo, concauitas, rotunditas aurium, frontis, colli, & dorſi longitudo, & ſuper oculos magis quam alibi linearum apparentia. Huius mores ſunt cum incognitis apertius vitam degere, quia facilius decipit,

ecipit, cum notis nullum tenere nisi de
ncognitis aut longinquis aut transactis
rmonem, & si studiis operam dat fre-
uentissimam de chymicis, de dialecti-
is, de rhetoricis, de secretis Theologi-
is, necromanticisque miraculis, aut Ca-
alisticis portentis orationem serit, in
ompis, vestibus ac monumētorum stru-
tura conspicuus, in cantu, saltatione,
ulsatione instrumentorum, recitatione
ntentionem oculorum circumstantium
ucupatur. Tradunt historici in certa-
ninib. musicis Neronem celeberrimum
e exhibuisse ostentatorem, cui se in hoc
ffectu sed in aliis parem potuit præbere
Ascanius de Nepe nostri temporis illu-
trissimi Cardinalis Farnesii architricli-
nus famosissimus, morumque aulicorum
dea exemplarue exactissimum, qui ab
vniuersa familia panoni cognomine insi-
gniri promeruit, quo titulo decoratum,
nos sæpius, dum inter aulicas Farnesianas
anxietates sepulti vitam traheremus, pa-
rum maximo Alexandro nescimus an fato
an inuidia cogniti, his auribus percepi-
mus. Sed ne cum tanto principe infelici-
tatis recordatio alio abducat animum, in
memoriam vecordium propositam re-
uocemus rationem, circa quod iam no-
bis in mentem subit alias intellexisse, hos

talibus insuper notis signisque a natura donatos, videlicet capite acuto, oculis ignitis ac lucidis, palpebris crassis, lineis prioribus in fronte abruptis, alias inæqualibus, turpibus, intercisis, contortisque præcipue supra oculum sinistrum; naso a fronte statim incuruato, male articulato, lato, & contracto, pectore & ventre glabro, dorso pilis obsito, cruribus plenis, pedum digitis aduncis, celeri gradu & inconcinno, & voce acutiori. Pessimum est hoc hominum genus, nullam enim rationem curamque habet pudoris, quæcumque sint, sibi licere agere aut pati existimans, siue parentibus alimoniam, aut deneget familiaribus mutuum, vel depositum, siue periuret aut filios abiiciat: præterea loquax est, aut nugiuendum & vltra metam dicax, in contractibus fraudum & mendaciorum asylum, cum pueris feminis & infimis conuersatio eius potissima est, & cum omnibus plena multiplici tædio. si hoc virus transit in potentiorem & illustrem, regnorum & rerumpublicarum vltima est pestis, ita de Catilina historiarum refert antiquitas, quem pulchre describit Sallustius, Color exanguis, inquit, fœdi oculi, citus modo, modo tardus incessus, prorsus in facie vultuque vecordia. Sunt autem cæteris deteriores, quibus in facino-

cinorum proxima perpetratione ſigna pparent verecundiæ, vti de Sylla dicta-ore traditum eſt, qui tunc crudelius ſæ-ire comperiebatur cum rubore faciem rofunderet. His proxima impuden-um natura, quæ multiplex exiſtit, quo-iam nonnullos libido facit impuden-es, alios lucri auiditas, & auaritia, mul-os ſtultitia, reliquos improbitas. Omni-us peculiariſsimum eſt mutui petitio, c alienarum rerum ſine verecundia vſus. Habent autem frequentius rotundam fa-iem, vultum contentum & colore im-nutabilem, lineas in fronte quaſi in fru-tula ſecatas, in oculis apertis ſplẽdorem, anguinem & craſsitiem in palpebris, ru-icundum & igneum colorem, naſum pa-um curuum, ſcapularum muſculos ele-atos, formam corporis obliquam & pro-nam, pectus ſurſum tractum, pedem velo-em & fere cõcitatum. quod ſi cui videris dorſum, naſum, & oculos diſtortos mem-braque incurua, anguſtum paruumq; ca-put, anguſtas longaſq; genas, longumque nentũ, capillos rigidos, oculos tumidos, ntentos, ſiccos, paruos, obtuſos, manus pedeſq; craſſos, duros colorẽ ſubuiridẽ & pallidũ, lineas in frõte tanquã funiculorũ fruſta, vel ſecatas, diſsimiles, inordinatas, & inconcinnas apparẽtes, vt retulimus in

manu Venereo cingulo, talem in improborum numerum reponendum eſſe nemini dubium, & alterum Caligulam vel Claudium iudicandum cum tamen incertæ aliquando ſint vitorum notæ, ob id quod pro viribus ab hominibus comprimantur, vel quia cum contrariorum contraria ſint ſigna, homines perſæpe vtriſque laborantes, varia quoque produnt de vitiis indicia, vnde difficilis apparet cognitio; veluti ſi quis ambitionis & iræ veneno ſimul detineatur, ibi modo tarditatem inceſſus, hinc modo celeritatem proficiſci comperies. Igitur non vno oculi intuitu morum diſcrimen eſt determinandum, imo & ſæpius illorum repetenda eſt conſideratio. non ſolum enim ex rebus animorum habitus diſcernes, ſed & facilius ex ipſius modi animaduerſione. Quoniam, exempli gratia, celebranti auaro conuiuia etiam ſplendida, ex nimia rerum curioſitate, diligentiaque in preciis, cuſtodia in vaſis, & conſeruatione eorum quæ ſuperſunt auaritiam detegi non minus dabitur. Tandem hic pedem ſiſtamus, nugis chiroſophicis receptui canentes, ſunt enim claudendi verborum riui poſtquam ſat vanitatum prata biberunt.

Operis

Operis conclusio. CAP. XI.

De manu ergo LOTHARI ILLVSTRISSIME & lineis sicut erat propositi nostri, & quantum tibi circa Chirosophicam inspectionem conducere potest, in præsenti sic determinatum sit: Nunc cum hoc Veneris Cingulo librũ, vt diximus, claudamus, fabellis finem imponentes. Si quid autem vel rudiori verbo (nam & bifurcata & furcata & discontinuitas, & cõplexionatus, & crepaturas, & præsentiales, & capillaris, & tortuosas, & triginta alia similia dixisse meminimus,) vel extra ordinem, vel sine vlla penitus ratione scriptum esse reperies; Scias nos semper illud solummodo verbis tribuisse, quod teste Aristotele, sunt earum tantum quas in anima habemus passionum notæ, ipsarum electionem, coniunctionem, & elegantem dispositionem Oratoribus relinquentes, quanquam & ipsam sine huius facultatis obscuritate aliqua animaduertere minime potuissemus, & de Methodo nullam fere in his tribus nugarum foliis seruaturos in principio protestati sumus; præter quod nõnulla ad Metoposcopiam vel Physiognomoniã pertinẽtia aliquando interseruisse, ad euidentiorem vitiorum deprehensionem, non multum a proposita opusculi ratione aberrasse forsitan censendum esset. Quod vero forte tibi præsertim Aristotelico, mirum videri poterit, nos tam raro vllius dicti rationem attulisse, hæc non nostra, sed tanquam aliorum pro voto inuenta o-

mnia & obseruata tibi cum descripserimus, si quid exactius scire volueris, in auctores ipsos dirigere acumen & subtilitatem intellectus in tuo situm erit arbitrio, quorum pugnantes & frequentius cum seipsis infinitas sentẽtias operiens; si quid & nos aliquãdo contrarium retulerimus facilius ignoscendũ cognosces. Præterea quænam rationes in facultate penitus irrationabili, & ad libitum vniuersa excogitata, confictaq;, delitiorumq; & fabularum, & mẽdaciorum a capite ad plantas refertissima, elici quæso potuissent? Interim tamen si quid contra fidem nostram & Sanctæ Ecclesiæ auctoritatem, in harum vanitatum derisione, scriptũ vel reperiatur (quod non tenemus) vel videatur, illud penitus abolitum & retractatum esto: tibi enim & omnibus constanter dicimus, nos nec hæc, nec similia, non solum profiteri, sed nec vllum habere pondus (sit Deus testis qui hominũ corda scrutatur, & irrisa passim in hoc libello priscorũ deliramẽta) firmiter credimus. immo velut omnia præter pauca naturalia, & fere nulla, fictiones & insanias voluntarias arbitramur; sic ipsas & ioci, & animi causa in hæc verba redegimus, ita tibi insuper morem gerere desiderantes, cui tantum tribuimus, quantum & fortunæ, & corporis, & animi, & tui Illustrissimi generis dotibus par esse censemus.

FINIS.

INDEX CAPITVLORVM
LIBRI PRIMI.

Præfatio.

Cap.		Pag.
1	*Intentio operis*	1
2	*De origine inspectionis manus eiusque scriptoribus*	2
3	*Inspectionē manus aliquid esse, & scientiam subalternā physiognomoniæ*	9
4	*De definitione scientiæ & diuisione manus*	15
5	*De definitione lineæ, & quattuor principalium descriptione, scilicet vitalis, epatis, Cerebri & Mensalis*	20
6	*De sororibus linearum principalium, & de Linea Solari, Via lactea, & Cingulo Veneris*	23

LIBRI SECVNDI

1	*Traditur ordo in prognosticationibus signandis obseruandus*	25
2	*De regulis circa iudicia custodiendis*	26
3	*De manu in generali & primo de eius quantitate*	34

4 De neruis, Venis, & Pilis 40
5 De qualitate Manus hoc est tactu, & colore 48
6 De Rascetta, & lineis ab ea venientibus 51
7 De Palma 55
8 De Triangulo 58
9 De quadrangulo, seu mensa manus 66
10 De Montibus, seu de Planetarum ipsis dominantium cognitione 71
11 De Monte Pollicis 78
12 De Monte indicis 82
13 De Monte Medii 89
14 De Monte Medici 95
15 De Monte Auricularis 101
16 De Monte Manus 105
17 De digitis in vniuersali 109
18 De pollice 113
19 De Indice 118
20 De Medio 121
21 De Medico 124
22 De Auriculari 129
23 De vnguibus 133

LIBRI TERTII.

1 Proponitur ratio huius libri 145

2 De

2 De quibusdam prænotandis circa lineas 146
3 De linea Vitali 149
4 De sororibus vitalis quarum altera Saturnina appellatur 155
5 De linea epatis 162
6 De linea Media naturali 168
7 De linea Mensali 178
8 De linea solari 187
9 De Via Lactea 196
10 De Cingulo Veneris 202
11 Operis conclusio 209

FINIS.

